



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



*Sr 22.16*



**Harvard College Library**

FROM THE

**CONSTANTIUS FUND**

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received *18 Oct, 1901.*





159674  
DE FASTIS VERRII FLACCI AB OVIDIO  
ADHIBITIS.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PHILOLOGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI  
AD  
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
RITE CAPESSENDOS  
DIE XXI. M. OCTOBRI A. MDCCCLXXXV  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**HERMANNUS WINTHER**  
BEROLINENSIS.


---

ADVERSARIJ ERUNT:  
M. EICHBERG, CAND. PHIL.  
R. ZIMMERMANN, STUD. PHIL.  
A. MEYER, STUD. PHIL.

---

BEROLINI 1885.  
APUD R. GÆRTNERUM.  
(H. HEYFELDER)

Ev 22.16



Constantine fund

**MANIBUS ET MEMORIAE**

**AMICORUM**

**HANS TOEPFFER**

(† 1884)

**ERNST FIDICIN**

(† 1885)

**S.**





## De fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis.

Quin P. Ovidius Naso in fastorum libris condendis fastis publicis populi Romani a C. Julio Caesare dictatore ordinatis tanquam totius operis fundamento usus esset, nemini unquam dubium fuit. Qua re non contentus Rudolphus Merkelius, vir doctissimus, cuius cum fastis Ovidianis coniuncta honorata memoria semper manebit, primus fastos Ovidii temporibus lapidibus incisos, qui nobis conservati sunt, perscrutatus Maffeianos, quos vocant, si non ipsos at certe 'brevitate et instituto quam simillimos' a poeta illustratos esse in prolegomenis editionis suae (Berolini 1841. p. LII i. f.) evincere studuit. Atque hac sua opinione permotus signa exarata, quae hi fasti ad singulos dies habent, singulis capitibus carminis Ovidii in editione sua minore (Lipsiae apud Teubnerum) praeposuit. Hi autem fasti Maffeiani postremo et optime a Mommseno CIL I p. 303 sqq. editi nihil praebent nisi litteras nundinales et dierum nomina notasque (F N NP EN C), quibus raro et brevissime ludi, sacra, alia adscripta sunt. Ovidio igitur, ut inde ex hoc fundamento angustissimo opus suum uberimum exstrueret, multa et varia materia aliunde in usum suum conferenda erat. Quam unde petivisset, idem Merkelius eodem loco primus singulari doctrina et admirabili diligentia inquisivit atque sibi persuasit poetam multos et varios multorum auctorum libros adisse et eorum doctrina tabellam, quam postea exponeret, sibi adornasse.

Omnes, qui post Merkelium Ovidii fastos tractaverunt, pedibus iverunt in illius sententiam. Quamvis enim ei, qui de fontibus

fastorum Ovidianorum scripserunt<sup>1)</sup>, singulas Merkelii opiniones corrigere studerent, in universum tamen nemo ei oblocutus est. A poeta ipso ad fastos publicos illustrandos libros grammaticorum, historicorum, astrologorum studiose lectos et diligenter excerptos esse communis nunc opinio fert.

Sed legenti mihi iterum atque iterum carmina Nasonis minus arridet in dies haec opinio. Etenim quo saepius eis, quae et poeta ipse de ingenio suo et moribus et aequales, praecipue Seneca, de natura et indole eius narraverunt<sup>2)</sup>, usus mente mihi depingo imaginem quandam Ovidii in carminibus componendis occupati, eo minus animum inducere possum, ut credam 'tenerorum lusorem amorum', cui

nec patiens corpus nec mens fuit apta labori,  
versatum esse in libris virorum doctorum, imprimis in vastis Varronis operibus, atque ex eis omnia, quae ad fastos illustrandos idonea viderentur, diversissimis scilicet rebus abdita multo labore et sudore eruisse. Nulla certe alia huius poetae opera videntur ita elucubrata esse, ne metamorphoseon libri quidem. Nam fabulae, quae eis enarrantur, quin viro a natura largissime ingenio et memoria praedito, qui inde a iuvenilibus annis libris poetarum et Latinorum et Graecorum operam dedit poetasque suae aetatis coluit fovitque, sua sponte paene undique se obtulerint, quis est, qui dubitet?<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Sunt autem hi fere:

Hermannus Peter in prolegomenis, annotationibus, appendice editionis suae Ovidii fastorum secundae. Lipsiae 1879. II.

Christianus Huelsen: Varronianae doctrinae quatenus in Ovidii Fastis vestigia extent. Diss. inaug. Berol. 1880.

Schenkl: Ovidius und Livius. (Zeitschr. f. oesterr. Gymn. XI 1860 p. 401 sqq.)

Ideler: Ueber den astronom. Theil der Fasti des Ovid. (Abh. d. Berl. Acad. 1822. 23. (1825.) p. 137 sqq.)

Carolus Robert: Eratosthenis catasterismorum reliquiae. Berol. 1878. (p. 29.) —

<sup>2)</sup> vide Teuffel-Schwabe, Gesch. d. röm. Literat. § 247, 1 et 6.

<sup>3)</sup> cf. M. Hauptium in prooemio editionis suae Metamorphoseon (Berol. 1862. p. 11.): 'der Umfang und die Art der Studien, auf

Qui scrupuli quanti sint et quo iure hac in re diiudicanda iniciantur, optime eo intellegitur, quod ne ei quidem, qui Merkellii sententiam secuti sunt, illos ex ipsorum animis plane evellere potuerunt. Ita Chr. Huelsenus in dissertatione sua, quam supra laudavi, fatetur se non habere, quod adversetur, si quis inde probabilius esse dixerit ab Ovidio non tam Varronis opus de anti-quitatibus rerum divinarum XVI libris comprehensum quam epitomen, quae quattuor fuit librorum, adhibitum esse, 'quod quam minimo apparatu Ovidius usus esse credendus sit, quippe qui a grammaticorum subtilioribus studiis alienus videatur fuisse.' (p. 47 sq.) Neque aliter H. Petrus, postquam auctores, quibus Ovidium usum esse sibi persuasit, enumeravit: Varronem, Callimachum, Livium, Ennium, alios rerum caelestium scriptores, his pergit verbis: 'sonst aber ist es mir höchst zweifelhaft, ob die Quellenstudien unseres Dichters zu den Fasten sehr ausgedehnt und gründlich gewesen sind.' (p. 16 prooemii editionis secundae.)

Quibus verbis nonne invitamur paene, ut toti huic opinioni de Ovidii studiis pervulgatae diffidamus? Quia Ovidii carmina amatoria minime reconditam doctrinam redolent atque quoniam omnem materiam, quae ad Medeam tragoediam scribendam et metamorphoseon libros componendos necessaria erat, pro eximia eius poetarum Latinorum et Graecorum cognitione, quam unaquaeque pagina carminum eius clamat, promptam ei fuisse apparet, non est cur arbitremur fastos plane aliter, studiis scilicet operosis et grammatico viro dignioribus ortos esse, nisi forte haec sententia ipsis poetae verbis commendabatur aut nihil aliud inveniri poterat, unde facilius fastorum interpretationem haurire ei licuisset.

Quae cum ita sint, in disputatione de fontibus, e quibus Ovidius fastorum auctor hauserit, aliam viam ingredi utile mihi videtur, atque adhuc viris doctis placuit. Ei enim collatis omnibus, quae apud grammaticos historicos astrologos et Latinos et Graecos ad locum aliquem Ovidii pertinere videbantur, singulas virorum doctorum sententias cum singulis poetae versibus comparaverunt atque eos auctores, quibuscum saepissime consentiebat, ab Ovidio

---

die der Dichter sein Werk gründete, lässt sich . . . nicht erkennen. Ausgerüstet dazu, auch dem Stoffe nach, war er schon durch seine gesammten poetischen Studien.'

inspectos esse concluderunt. Equidem primum ex ipsis Ovidii fastis in unum componam omnes versus, quibus de eo fonte, ex quo poetam hausisse sine ulla dubitatione constat atque ad unum omnes consentiunt, de fastis publicis dico, disertis verbis agitur. Nam ex eis locis haud scio an percipi possit, quales fuerint illi fasti, quibus Naso usus sit, et num recte iudicaverit Merkelius illos et brevitate et instituto fastorum Maffeianorum simillimos aliunde locupletari et illustrari opus fuisse.

Quorum locorum primi exscribendi sunt ei, quibus in universum de re proposita Ovidius loquitur:

II 7 — sacra cano signataque tempora fastis.

I 7 sq. Sacra recognosces annalibus eruta priscis,

et quo sit merito quaeque notata dies.

Accedunt ei versus, quibus in singulis diebus illustrandis fastorum notas respectas esse elucet:

II 381 sq. Forsitan et quaeras, cur sit locus ille Lupercal,

quaeve diem tali nomine causa notet.

(Febr. 15. LVPEBCalia. Maff.)

V 721 sq. Ad Janum redeat, qui quaerit, Agonia quid sint,

quae tamen in fastis hoc quoque tempus habent.

(Mai. 21. AGONia. Maff.)

V 727 sq. Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis

vel mos sacrorum vel fuga regis inest.

(Mai. 24. Q·REX·C·F. Maff.)

VI 649 (Jun. 12.) Nulla nota est veniente die, quam discere (?) possis.

Neque aliud significat:

II 475 (Febr. 16.) Proxima lux vacua est (sc. nota).

Omnes loci, quos adhuc attuli, non modo cum fastis Maffeianis, quorum notas singulis versibus subscripsi, sed omnino cum omnibus fastis Romanis, quoad servati sunt, consentiunt, ita ut ad rem, quam tractamus, nihil ex eis consequatur.

Plus autem, ni fallor, ex his locis elici potest:

1. I 63 sqq. (Jan. 1.) Ovidius, postquam de huius diei ritibus sacrisque et de Jani forma ac natura, quae a deo ipso se comperrisse fingit, copiose exposuit, pergit v. 289:

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,

sacravere patres hac duo templa die:

scilicet Aesculapii et Jovis in insula Tiberina sita. Ex fastis igitur,

quos inspexit, de his templis calendis Januariis dedicatis certior factus est. In Maffeianis autem talis nota non invenitur.

2. Neque aliter ex fastis cognovit nonis Martiis templa Vediovis ante duos lucos sacrata esse, quoniam scriptum videmus: III 429 sq. (Mart. 7.)

Una nota est Marti nonis, sacrata quod illis  
templa putant lucos Vediovis ante duos.

Atque haec quoque nota in Maffeianis fastis desideratur. Nam perversam Merkelii opinionem, qui hanc unam notam nonis Martiis adiectam de littera F in fastis Maffeianis huic diei adscripta intellexit (l. c. p. XLl.), iamdudum expolit Hertzbergius in censura illius operis gravissima. (Zeitschrift für die Alterthums-Wissensch. IV 1846 p. 162. cf. Huschke, Das alte röm. Jahr, p. 209. not. 71.)

3. Cur autem libri primi versus 27—60 toti operi praemisit, ipse poeta his verbis dicit:

I 61 sq. Haec mihi dicta semel, totis haerentia fastis,  
ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

Explicantur autem in eis, qui antecedunt, versibus numeri et nomina mensium (vv. 27—44), deinde dies nefasti (47) fasti (48) intercisi (49—52) comitiales (53), tum nundinae (54) atque calendae (55) idus (56) nonae (57), denique dies postriduanus ideoque atri (57—60). Quae omnia Ovidius, si quidem fastos Maffeianos respexisset, vix 'totis haerentia fastis' dicere potuisset. Nam unam illam notam in tabula Maffeiana a. d. XIX. cal. Febr.<sup>1)</sup> vix sufficere ad omnes dies postriduanos atros notandos Merkelius ipse fatetur. (l. c. p. XXXIII.)

Itaque ex ipsis poetae verbis apparet non fastis Maffeianorum et brevitatem et institutum simillimis, sed uberioribus notis exornatis eum usum esse. Atque cum hac sententia optime conveniunt duo alii loci, quibus poetam fastorum notas, quas expositorus esset, non suum opus respexisse, arbitratus sum.

4. II 119 sqq. (Febr. 5.) Is dies laudatur, quo Augustus a senatu populoque Romano pater patriae appellatus est, quem diem ita significat: II 122

maximus hic fastis accumulatur honos.

5. Atque ad Apr. 13. dicit: IV 621 sq.

---

<sup>1)</sup> DIES VITIOS(us) EX · S · C.

Occupat Aprilis idus cognomine Victor

Juppiter: hac illi sunt data templa die.

Ad utrumque diem autem in fastis Maffeianis nihil adscriptum est.

Fastos autem, quos poeta in opere condendo ad manus habebat, non tabulam cuiusvis materiae, sed librum id est volumen fuisse, ipse I 657 sqq. disertis verbis narrat:

Ter quater evolvi signantes tempora fastos,  
nec sementina est ulla reperta dies:

cum mihi (sensit enim) 'Lux haec indicitur,' inquit

Musa, 'quid a fastis non stata sacra petis?' e.q.s.

Nonne ipsum poetam in opere suo versantem paene oculis adspicimus? Ita enim hos versus interpretatus sim: Cum in carmine pangendo prope ad finem mensis Januarii venisset, feriarum sementinarum ei in mentem venit, quippe quae illo anni tempore celebrari solerent. Quarum diem ut cognosceret, primum fastos suos inspexit id est volumen fastorum volvit. Sed quamvis quaereret totumque librum ter quaterque evolveret et perscrutaretur, nullum diem invenit, cui nota feriarum sementinarum adscripta erat. Tum demum meminit has ferias, quoniam conceptivae, non stativae essent, in fastis omnino reperiri non posse. Atque haud illëpidis versibus, quomodo erraverit et a Musa correctus sit, describit.

Tale volumen fastorum, quale in Ovidii manibus fuisse nobis persuasum est, quamquam librariorum cura servatum non est, quia omnia paene, quae continebat, inde a temporibus christianis et extra urbem Romam aut omnino non intellegebantur aut plane inutilia erant, tamen habemus inter exempla fastorum aetate Ovidii lapidibus incisa unum, quod hemerologii ab Ovidio in usum vocati non ita dissimile fuisse contenderim. Fastos dico Praenestinos, quibus nulli pluribus et copiosioribus notis exstructi sunt. In eis enim occurrunt omnia ea, quae ex fastis se sumpsisse Ovidius ipse testatur, nos autem cum in ceteris tum in Maffeianis frustra quaerimus. Etenim, ut versus Ovidii modo laudatos cum notis fastorum Praenestinatorum eodem ordine breviter comparem:

1. ad cal. Jan. praebent fasti Praenestini<sup>1)</sup>:

[Aescu]lapio Vediovi in insula.

---

<sup>1)</sup> Corpus inscriptionum latinarum, vol. I p. 312 sqq.

Tantum igitur, quod Jovem, non Vediovem nominat, qua de re postea videbimus, eandem rem tradit Ovidius I 289 sqq.

2. ad non. Mart. habent fasti Praen.:

[Vedi]ovi artis Vediovis inter duo

lucos,

quibus verbis quamvis corruptis tamen idem commemorari apparet atque in Ovidii carmine III 429 sq.

3. Atque etiam ea, quae de diebus postridianis Ovidius I 57—60 profert, fastis Praen. haerere ipse intelleges, cum eorum notas ad Jan. 2. 6. 14., quas infra exscribam, legeris.

4. Ad non. Febr. autem in fastis Praen. invenitur:

Feriae ex s. c., quod eo die Imperator Caesar Augustus pontifex maximus trib. potest. XXI. cos. XIII. a senatu populoque Romano pater patriae appellatus(t). — cf. Ov. II 122 sqq.

5. Restat nota iduum Apr.; sed haec in fastis Praen. non iam extat.

Quibus ex locis consequitur fastos, quibus Ovidius in condendo opere utebatur, magis Praenestinatorum quam Maffieianorum, ut vulgo creditur, similes fuisse. Atque huc accedit res, quae, quamquam iamdudum animadversa est, tamen haud scio an recte nondum explicata sit. Etenim et fastorum tabulis et grammaticorum libris comprobatur Ovidium, cum diceret II 685 sq. (Febr. 24.)

Nunc mihi dicenda est regis fuga. traxit ab illa

sextus ab extremo nomina mense dies,

re vera non sextum a fine mensis diem, sed diem sextum ante calendas (Martias) respexisse, quem recte I 705 ita significat:

— quae venturas praecedit sexta calendas.<sup>1)</sup>

Atque eodem modo VI 795 scribit a. d. III. cal. Jul.:

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,  
quamquam re vera duo tantum dies mensis restant. Tertium autem idem occurrit VI 725 sq. (Jun. 19.):

---

<sup>1)</sup> Item recte de Apr. 25. (a. d. VII. cal. Mai.) IV 901 ita loquitur: Sex ubi, quae restant, lucas Aprilis habebit, et de Jan. 30. (a. d. III. cal. Febr.) I 710:

haec erit a mensis fine secunda dies,  
et de Febr. 27. (a. d. III. cal. Mart.) II 857:

Iamque duae restant noctes de mense secundo.



Iam sex et totidem luces de mense supersunt,  
huic unum numero tu tamen adde diem,  
qui versus diei decimi tertii ante calendas Julias rationem habent.  
Neque aliter denique interpretandi sunt versus VI 247 sq.

Adspicit instantes mediis sex lucibus idus

illa dies, qua sunt vota soluta deae.

de die VI. ante idus Junias, quamquam nostra quidem ratione inter Jun. 8. et 13. quattuor dies interpositi sunt. Exsistit quaestio, unde adductus sit poeta ad hanc dicendi rationem a nostro quidem usu plane alienam. Nam si in fonte suo legisset, ut primo exemplo utar, 'Regifugium notatur in fastis dies a. d. VI. Kal. Mart.', ut apud Festum (p. 278. Muell.) scriptum videmus, vel tale aliquid, vix de sexto ab extremo mense die locutus esset. Facillime autem, ni fallor, in hunc — si ita dicere licet — errorem incidere potuit, si fastos inspexit, in quibus inter litteras nundinales et reliquas dierum notas numerus additus erat, quo quotus esset dies quisque ante nonas idus calendas proximas significaretur. Hoc ergo notae ad Febr. 24. adscriptae initium

G VI REGIF.

ab Ovidio in fastis lectum et VI illud, quod solum ei ante oculos erat, non nimis accurate sermone poetico redditum esse crediderim.

Qui dierum numeri non in omnibus, qui nobis servati sunt, fastis adiecti sunt. Desiderantur in Maffeianis, leguntur in Praenestinis, ita ut hac quoque in re quamvis levidensi fasti, quibus Ovidius utebatur, Praenestinorum similes videantur.

Quoniam autem incidimus in quaestionem de ratione, qua Ovidius singulos dies describeret, liceat mihi paululum digredienti verba pauca facere de duobus locis, quos secundum hunc loquendi usum indicandos esse arbitror. Versus dico II 567 sq. et VI 768, qui tantas viris doctis difficultates paraverunt, ut locis, quos in omnibus codicibus obtinent, eos removeere atque ita certa omnino fundamenta iudicii tollere nonnulli non vererentur. Quibus de locis quae aliis placuerunt, nullo negotio apud Petrum (in parte secunda editionis p. 30 et 89) invenies: hoc loco quae mihi verisimilia videntur, exponere satis habeo. Versus autem II 565 sqq. vulgo ita leguntur:

Nunc animae tennes et corpora functa sepulchris  
errant, nunc posito pascitur umbra cibo.

nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint

Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.

hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem.

Haec verba ob duas loquendi consuetudines poetae, quas modo exposui, et ob locum quendam amorum (I 1, 27 sqq.), quo undecim pedes esse disticho Naso palam profitetur, significare possunt Feralia celebrari aut a. d. XII. aut a. d. XI. cal. Mart. In fastis autem Feralia non o diei ante cal. Mart. adscripta sunt. Quare contenderim lectionem versus 568 vulgarem nihili esse, veram autem latere in his verbis, quae, quamquam maiore codicum numero praebentur, adhuc plane neglegebantur: 'quot habent carmina nostra dies.' Sic enim duabus litteris mutatis legendum esse existimo:

nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint

Luciferi, quot habent carmina nostra deas.

Deae autem carminum novem Musae sunt. Vide quam consentiat ita locus et cum Ovidii consuetudine (praecipue VI 795) et cum fastorum nota, atque confer similem versus finem heroid. XV 108:

perque novem iuro, numina nostra, deas,

qui si non ab Ovidio ipso, at certe ab imitatore eius confectus est.

Cur vero in altero loco (VI 768) viri docti prorsus spreverint hanc codicum nonnullorum lectionem:

quintus ab extremo mense bis ille dies.

nullus video. Nam si ita legimus, planissima omnia sunt. Pugna ad lacum Trasimenum commissa narratur vv. 763—768 a. d. X. cal. Jul., sequuntur 'postera luce' (769 sq.) pugnae ad Cirtam et ad Metaurum. Inde a. v. 771 novum incipere diem haud dubie recte vidit Riesius: secundum fastos autem Fortis Fortunae fanum a. d. VIII. cal. Jul. dedicatum est. —

Sed revertamur, si placet, ad fastos Praenestinos. Iam vero haud inutile videbitur eorum originem ac naturam accurate exquirere. Qua in re egregium in modum adiuvamur eo capite primi corporis inscriptionum latinarum voluminis, quo Theodorus Mommsen de fastis anni Juliani egit (p. 293—412). Etenim eius viri summi cura atque doctrina fasti Praen. non modo ita accurate descripti typisque redditi sunt, ut paene ipsas tabulas marmoreas videre nobis videamur (p. 312—319), sed etiam in commentariis additis sic et restituti et illustrati, ut nihil paene ad eos intellegendos desideretur.

Tabulas fastorum marmoreas ad Praeneste anno 1771 re-  
pertas fragmenta eorum fastorum esse, quos ibidem in hemicyclio  
marmoreo parieti incisos a Verrio Flacco publicatos esse Suetoni-  
us (de gramm. c. 17.) memoriae prodidit, nunquam negari debuit.  
(cf. J. Vahlen, ind. schol. Berol. 1877. 78 p. 5 contra O. Hirsch-  
feld, Hermes IX 103.) M. Verrium Flaccum, doctum et clarum  
grammaticum, ob artem docendi Augustus elegit praeceptorem  
nepotum suorum Gai (734—757 a. u., 20 a. — 4 p. Chr.) et Luci  
(737—755 a. u., 17 a. — 2 p. Chr.), qui haud scio an inde ab  
anno u. 744 (10 a. Chr.) ab eo instrui potuerint.<sup>1)</sup> Quem iam  
tum et libris a se confectis et schola sua in famam quandam  
pervenisse verisimile est. Fastos autem eius marmoreos incisos  
esse inter annos u. 752 et 763 (2 a. — 10 p. Chr.)<sup>2)</sup> causis  
manifestis Mommsenus demonstravit (CIL I p. 295, 9.). Quam ob  
rem crediderim hoc monumentum faciendum eum curavisse, cum iam  
largitate Augusti opibus floreret. Additae sunt post tabulas incisas  
annotationes nonnullae ad Divum Augustum et Tiberium spectantes  
usque ad a. u. 775 (22 p. Chr.), quod circa tempus Verrium exactae  
aetatis decessisse traditur (Sueton. l. c.). Cui brevi temporum et  
Verrii et fastorum eius descriptioni unum illud, quod de tempore  
Ovidii fastorum ex versibus trist. II 549—552 affatim repetitis  
constat, adiungere satis habeo: Ovidius iam antequam exilio multatus  
in fine anni u. 762 (9 p. Chr.) Roma discedere coactus est, in  
fastis condendis versabatur.

Sed Verrius Flaccus fastos suos Suetonio teste non modo in-  
cidendos curaverat, sed etiam ipse ordinaverat, hoc est, ut Vahle-  
nus (l. c.) interpretatur, eo ordine, quo ederentur, concinnaverat.  
Nam notae, quas Verrius eis, quae maioribus elementis exarata in  
omnibus hemerologiis cernimus, adscribendas curavit, in duas partes  
dividi possunt. Alteras, quoniam magna ex parte Verrii tabulis  
cum aliis communes sunt, ex fastis publicis populi Romani, quibus  
pontifices et magistratus utebantur, sumptas esse apparet. Sunt  
autem haec aut ludi et sacra, quae quotannis certo die celebraban-

---

<sup>1)</sup> Rem Suetonius l. c. enarrat; annum ita constituit C. Odofr. Muellertus in ed. Festi p. XIII.

<sup>2)</sup> Huschke, Das alte röm. Jahr, p. 193 post a. u. 757 (4 p. Chr.) publicatos eos esse contendit, sed causis parum perspicuis.

tur, aut res, quae ad rem publicam Romanam domumque Augusti aliquo erant momento. Qua in parte fastorum Praen. proprius est Verrii delectus notarum, quas dignas esse putabat, quae ex publicis fastis in suos reciperentur. — Altera vero pars annotationum in solius Verrii fastis occurrit, explicationes dico notarum ex fastis publicis repetitarum, quae utique doctrinam grammaticorum Romanorum redolent. Atque quamquam Verrius minime primus est, qui anni Romani tabulam explicandam sibi sumpsit, tamen solus, quantum scimus, anni Juliani interpretationem ipsi dierum laterculo adiectam publicavit (cf. Mommsen, CIL I p. 363.). A grammatico autem, qui hoc modo gravissima, quae ex fastis publicis excerpserat, interpretatus est et unicuique annotationi suum in fastis locum dedit, fastos ordinatos esse iure optimo dici potuit.

Exemplum fastorum ita ab ipso ordinatorum in charta scilicet atramento scriptum tum quadratario aliquo, qui tabulis marmoreis hemicyclii insculperet, tradidit. Hunc autem quadratarium vel operas eius exemplum Verrii minime ad litteram transscripsisse certis argumentis ostendit Mommsenus. 'Epitomam ceteroquin non satis scite factam' fastos Praen. appellat (l. c. p. 363.) atque eodem loco ita de eis disserit: 'In fastis Praen. praeter leviores mendas complures non solum quadratarii unum certe locum (Mart. 7.) ita corruerunt, ut quid Verrius ibi scribi iusserit non assequamur, sed etiam pleraque inveniuntur tam inconcinna, ut scriptas adnotationes non ipse auctor, sed operis magistri in compendium redegissee videantur.'

Origine autem ac natura fastorum Praen. perspectis iam iudicare nos posse arbitror, quantumtribuendum sit ei, quod nonnullae res, quas ex fastis in opus suum recepisse Ovidius disertis verbis fatetur, in solis Praen. occurrunt. Quos locos si denuo recensuerimus, mox intellegemus omnes esse tales, quales ex fastis publicis excerpisse, non de suo doctrinae penu addidisse Verrium constat. Nihil quod grammatici proprium videtur, in his quidem locis reperitur. Unde si quis coniciat mero casu accidere, ut in his locis consentiant Ovidius et soli fasti Praen., quoniam eorum auctor longe plures notas, quam qui alias tabulas concinnaverunt, ex publicis repetierit, non habeo quo eum redarguam.

Sed tamen hac re nondum deterreor, ne diutius in fastos Praen. insistam neve eos utiles ad quaestionem de fontibus fastorum

Ovidianorum solvendam iudicem. Nam id quidem libentissime quemque mihi concessurum esse spero, Nasonem, si hos Verrii fastos novit et in usum vocavit, in quibus ad singulos dies et nota fastorum publicorum et explicatio grammaticorum adscriptae erant, multo minore negotio carmen suum condere potuisse, quam si et notae ex fastis publicis et interpretationes earum ex diversissimis virorum doctorum libris ei conferendae erant. Itaque licet casu quodam ad fastos Praen. adducti simus, non inutile videbitur utraque eiusdem aetatis opera accurate comparare.<sup>1)</sup> Ex primis sex mensibus autem, qui cum Ovidio conferri possunt, habemus notas plus minusve temporibus iniquis laceratas has: ad Ianuarium 1.—4. 6.—31., ad Februarium 5., ad Martium 1.—10. 19.—26. 28.—31., ad Aprilem 1.—6. 9.—30.

Duae autem res in comparandis Ovidii Verriique fastis respiciendae sunt, eae scilicet, quibus huius grammatici tabulae ab aliis fastis lapidibus incisis differunt. Primum exquirendum est, utrum eundem delectum notarum, quas in fastis publicis dierum laterculo adscriptas fuisse verisimile est, Ovidius habuerit atque Verrius an alium. Nam neque a grammatico neque a poeta omnes notas, quae illa aetate in publicis fastis extarent, repetitas esse constat (Mommsen l. c. p. 362 sq.). Altero autem loco omnia ea ex binis fastis excutienda et comparanda sunt, quae auctores ad notas singulas interpretandas attulerunt.

Quod autem ad notarum delectum attinet, de eis quidem locis, qui in fastis Praen. nobis servati sunt, comprobatur Ovidium de nulla nota loqui, quae in Verrii tabulis non legitur. Quam rem optime conspectu, quem propositurus sum, apparere arbitror, in quo ad sinistram omnes locos, quos Ovidius ex fastis recepit, ad dextram fastorum Praen. notas, quibus eadem res attinguntur, conscripsi in medium interpositis rebus ipsis, de quibus agitur.

---

<sup>1)</sup> Qua in comparatione nisi in fine respicio neque Ovidii versus, quibus de siderum motibus et fabulis agitur, de quibus nihil praebent fasti Praen., neque septem locos fastorum Praen., qui post tabulas incisas collocatasque additi sunt. (CIL I p. 295, 9) et p. 312 ad Jan. 8.)

Januarius.

Ov.		Fast. Praen. ad
I 289 sqq.	Aesculapii et Vediovis templa.	Jan. 1.
317 "	Agonia.	" 9.
461 "¹)	Carmentalia I.	" 11.
587 "	Augusti cognomen.	" 16.
617 "	Carmentalia II.	" 15.
[637 "	Aedes Concordiae.	" 16.²)]
705 "	Aedes Castorum.	" 27.
709 "	Ara Pacis.	" 30.

Martius.

III 167 sqq.	Matronalia.	Mart. 1.
415 "	Augustus pontifex max.	" 6.
429 "	Aedes Vediovis.	" 7.
517 "	Equirria II.	<div style="display: inline-block; vertical-align: middle;">                     Dies                      Mart. 11.-18.                      in                      fastis Praen.                      interciderunt                 </div>
523 "	Festum Annae Perennae.	
697 "	Mors C. Julii Caesaris.	
713 "	Liberalia.	
791—792	Argeorum pompa.	
809 sqq.³)	Quinquatrus-Tubilustria.	Mart. 19.-23.
879 "	Festum Jani, Concordiae cet.	Nota Mart. 30. perit.
883—884.	Lunae templum.	Mart. 31.

Aprilis.

IV 133 sqq.	Festum Veneris Verticordiae et Fortunae Virilis.	Apr. 1.
179 "	Megalesia.	" 4.
373 "	Aedes Fortunae Publicae.	" 5.
377 "	Pugna ad Thapsum.	" 6.
389 "	Megalesium finis.	" 10.

¹) Nihil impedit, quominus existimemus ea, quae de Juturnalibus Ov. I 463 sq. tradit, in Praen. fastis quondam extitisse, sed una cum Carmentalium explicatione evanuisse.

²) Nota in fastis Praen. a manu secunda exarata.

³) De templi Captae Minervae dedicatione (Ov. III 835 sqq.) cf. quae infra dicentur.

IV 393 sqq.	Cerialia.	Apr. 12.
621 „	Templum Jovis Victoris et Atrium Libertatis.	Notae Apr. 13. et 14.
627—628.	Pugna ad Forum Gallorum.	noniam extant.
629 sqq.	Fordicidia.	Apr. 15.
675—676.	Imperator Caesar Octavianus.	Apr. 16. nota non servata est.
679 sqq.	Cerealium finis.	Apr. 19.
721 „	Parilia.	„ 21.
863 „	Vinalia.	„ 23.
905 „	Robigalia.	„ 25.
943 „	Floralia. — Aedes Vestae in Palatio.	„ 28.

Neque obstat ei, quod ex hoc conspectu apparere puto, frustum, quod solum de Februario mense servatum est:

Ov. II 119 sqq. Augustus pater Fasti Praen. ad Febr. 5.  
patriae appellatur.

Omnia autem, de quibus in tribus his mensibus ab Ovidio praeterea agitur, ex notis fastorum publicorum non desumpta esse concedet, qui carmen illius legerit. (Sed vide notam paginae 12 subscriptam.) Quae vero praeter ea, quae in conspectu posui, in Praenestinas tabulas ex publicis a Verrio recepta videntur, haec sunt:

1. Ad Apr. 9. 10. adscriptum est:

[hoc biduo sacrific]ium maximu[m];

Fortunae Prim[i]g(eniae), utro eorum die  
oraclum patet, Iiviri vitalum I

Quam notam suo iure omittere potuit Ovidius, quia Praenestinum aliquid ea exponitur. (cf. Mommsenum l. c. p. 363 et 410. Preller-Jordan, Röm. Myth. II 189 sqq.)

2. Eadem de causa apud Ovidium id quaeret, quod de Praenestino sacrificio adscribitur in hac nota ad Mart. 6.:

Fe[ri]ae ex s. c., quod eo die I[mp.] Caesar August. pont.  
m[ax.] factus est Quir[ini]o et Valgio cos. Iiviri  
ob [eam rem immolant, p]opulus coronatus feriatus  
[agit.]

3. Has vero notas

ad Apr. 26.: Hunc diem Divus Caesar addidit,  
et ad Jan. 29.: . . . . . [hunc diem et sequentem]

Divus Caesar add[idit ut per eos] augeretur a[nnus].  
a nullo in Ovidii carmine desiderari existimo.

4. Porro ab Ovidio non commemoratae sunt hae Praenest-  
inorum fastorum notae:

ad Jan. 7.

Imp. Caesar Augustu[s . . . . primum fasces sumpsit]

Hirtio et Pansa [cos.]

VIIvir epul(onum) creatus [est.]

ad Jan. 12 (sive 11.)

D[ebellavit Imp. Caesar Augustus tertium]

ab Romulo et Janum c[lausit se V et Appuleio cos.]

Augustus Ti. Caesarem es . . . .

ad Jan. 17.

Pontifices a[ngures XVviri s. f. VII] vir(i) epulonum victimas in-  
m[ol]ant n[umini Augusti ad aram q]uam dedicavit Ti. Caesar.

Fe[llicitati . . . ., quod Ti. Caesar aram] Aug(usto) patri dedicavit.

ad Jan. 29.

Feriae ex [s. c., quod eo die] ab Imp. Caes[are Augusto pont.]

maxi[mo] . . . . .

marina . . . . .

Omnes hae notae, quamvis sint obscurae in singulis rebus, et ad  
Imperatorem Augustum et ad mensem Januarium pertinent. Primus  
autem liber Ovidii non ad Imperatorem Augustum, sicut ceteri, sed  
ad Germanicum scriptus extat. Quare conici licet ab Ovidio has  
notas in suo quoque hemerologio lectas, sed tum, cum Tomis opus  
retractaret, superfluas indicatas esse.

5. Deinde ne uno quidem verbo attigit Naso notam ad Mart. 24.

[Q(uando) R(ex)] C(omitavit) F(as).

Sed nemo dubitabit, quin hanc notam, quippe quae maioribus litteris  
scripta in omnibus fastis occurrat et ad alterum diem, cui adscribi  
solet, obiter a poeta commemoretur (ad Mai. 24. V 727 sq.), hoc  
priori loco Ovidius sua sponte omiserit.

6. Restat una nota, quae in Praen. fastis adscripta in Ovidi-  
anis non tractatur. Ad Febr. 5. in hemerologio haec annotata  
fuisse Ursinus memoriae prodidit: 'Concordiae in arce. Feriae ex  
s. c., quod eo die Imp. Caesar Augustus . . . . . pater patriae  
appellatus(t).' (vide supra p. 7. 4.)

Laudem Augusti patris patriae splendidissimis versibus II



119 sqq. poeta celebravit. Num incredibile est Ovidium illud 'Concordiae in arce' quoque legisse, sed, cum minoris momenti sibi videretur, consulto abiecisse?

Quae cum ita sint, nihil impedire arbitror, quominus eundem delectum notarum, quem fasti Praen. praebent, in Ovidii manibus fuisse coniciamus. —

Sed in hac epitoma fastorum publicorum, quae Verrio Flacco debetur, alias notas doctrina sua explicavit, alias interpretatione non addita in tabulas suas recepit grammaticus. Atque eandem rem apud Ovidium animadvertimus, qui in singulis capitibus aut solis fastorum notis aut praeter eas grammaticorum doctrina videtur usus esse. Quare in utroque opere comparando primum, si placet, videamus eos locos, quibus fasti Praen. solas fastorum publicorum notas praebent, Ovidius autem nihil nisi eas videtur adhibuisse. Tum respiciamus eos Ovidii versus, quibus plura, quae e grammaticorum doctrina repetita videntur, tradit quam Verrii notae sine explicatione ex publicis fastis excerptae. Denique comparemus eos locos, qui apud utrumque auctorem annotationibus doctis aucti et illustrati sunt. Nimirum ut ad certum iudicium perveniamus de ratione, quae inter Ovidii Verriique fastos intercedat, eis solis locis tabularum Praen. uti licet, qui aut integri servati aut certum in modum restituti sunt.

Ac primum quidem hos in Ovidii carmine locos invenio, in quibus solas fastorum notas, quales in Verrii tabulis occurrunt, ab eo adhibitas esse crediderim:

1. Ad Jan. 30. habent fasti Praen.:

Feriae ex s. c., quo[d eo] die ara Pacis Augusta[e in campo]  
Martio dedicata [e]st Druso et Crispino c[os].]

Eadem suis scilicet ambagibus ornata cecinit Ovidius I 709—722.

2. ad Mart. 31. in fastis Praen. invenitur:

Lunae in Ave[ntino.]

quacum nota consentiunt ultimi libri tertii versus Ovidii 883 sq.

Luna regit mensis. huius quoque tempora mensis  
finit Aventino Luna colenda iugo.

3. ad Apr. 6. duas annotationes fastorum Praen.

Ludi. F(eriae), q(uod) e(o) d(ie) C. Caesar C. f. in Africa regem [Jubam]  
v[icit.]

ita aptissime conexuit poeta IV 377—384:

Tertia lux (memini) ludis erat, ac mihi quidam  
spectanti senior continuusque loco  
'Haec' ait 'illa dies, Libycis qua Caesar in oris  
perfida magnanimi contudit arma Jubae.'  
e. q. s.

4. ad Apr. 28. Ovidio, ut versus IV 943—954 conderet, nihil  
opus erat, nisi nota fastorum Praen., quae sic sonat:

Ludi Florae. Feriae ex s. c., quod eo di[e aedicul]a et [ara]  
Vestae in domu Imp. Caesaris Augu[sti po]ntif. ma[x.]  
dedicatast Quirinio et Valgio cos. Eodem  
die aedis Florae, quae rebus florescendis praeest<sup>1)</sup>,  
dedicata est propter sterilitatem frugum.

His igitur locis Ovidium notis, quas in fastis suis Praenesti-  
norum similibus invenit, nihil nisi numeros et ornatum carminis  
addidisse verisimile est.

Neque aliter res se habet in eis, quae II 119—144 et III  
415—428 Ovidius cecinit, quibus locis eas notarum Praen. ad  
Febr. 5. et Mart. 6. partes, quibus de Augusto cognomine patris  
patriae ornato et de eodem pontifice maximo agitur, sermone poetico  
repetivit, alias, ut modo demonstravimus, suo iure neglexit.

Accedunt nonnulli carminis Ovidiani loci, in quibus, quamquam  
a poeta aliud quid praeberi primo obtutu videtur atque a fastis  
Praenestinis, tamen solis eorum notis usum esse Nasonem contenderim.

1. Ad Jan. 27. fasti Praen. haec habent:

Aedis [Castoris et Po]llucis dedica[ta est.]

Eodem die Ovidius I 705—708 canit:

At quae venturas praecedit sexta calendas,  
hac sunt Ledaëis templa dicata deis.  
fratribus illa deis fratres de gente deorum  
circa Iuturnae composuere lacus.

Nulla re impedimur, quominus solam Praenestinorum fastorum  
notam in fastis a se in usum vocatis Ovidium invenisse arbitremur.  
Quae enim de templi auctoribus et loco tradit, de sua temporum  
suorum cognitione adicere eum potuisse quis neget?

2. ad Apr. 5. scriptum videmus in fastis Praen.:

---

<sup>1)</sup> Verba 'quae rebus florescendis praeest' haud scio an a  
Verrio Flacco notae fastorum publicorum insita sint.

Ludi. Fortunae Publicae Citerio[ri]  
in colle.

in Ovidii autem fastis IV 373—376:

Postera cum caelo motis Pallantias astris  
fulserit, et niveos Luna levarit equos,  
qui dicet 'Quondam sacrata est colle Quirini  
hac Fortuna die Publica', verus erit.

Differunt igitur inter se ita, ut Ovidius eum collem, quem fasti Praen. modo significant, nominet, Verrius Flaccus autem accuratius ex tribus Fortunae templis in colle Quirinali sitis unam hoc die sacratam citerioris appellatione distinguat. (Mommsen l. c. p. 391.) Illud certe de suo facillime addere poterat Ovidius, hoc iam metri causa (cīterior) omittere cogeatur. Licet igitur conicere hanc eandem notam in hemerologio ab Ovidio lectam esse.

3. ad Jan. 1. verum Verrius annotavit:

[Aesculapio Vediovi in insula,

Ovidius (I 289—294.) de templis Aesculapii et Jovis in insula Tiberina sacratis disserit. Sed cum animadvertamus a scriptoribus, quicunque de hoc Vediovis sive Diiovis templo verba faciunt, hunc deum 'cum Diove sive Jove ita confundi, ut uno loco solo (Liv. 31, 21.) vestigia certe veri remanserint' (Mommsen l. c. p. 382.), nonne verisimile fit, hoc templum vulgo Jovi attributum esse et Ovidium usu vulgari quam auctoritate fastorum uti maluisse?

4. ad Apr. 10. scriptum videmus in fastis Praen.:

Ludi in circo. M(atri) d(eum) M(agnae) I(daeae) in Pal[atio], quod  
[eo die aedis ei

dedicata est.

Ovidius vero (IV 389—392.) ludos commemoravit, causam eorum omisit. Tamen ex versibus, qui antecedunt:

377 'Tertia lux' (h. e. tertius Megalensium dies) '— memini  
— ludis erat'

et 387 'Ante tamen, quam summa' (h. e. ultima Megalensium)  
'dies spectacula sistat'

intelligi potest, his ludis ultimum Megalensium diem celebrari. De templo autem in Palatio deae dedicato paulo ante ad primum Megalensium diem poeta loquitur (347 sq.), cum hanc rem narrationi de adventu Magnae Matris suo iure annectit.

5. Denique his locis adiungam unum illud, quod a Verrio alii

diei atque a poeta adscriptum est. Nam Octavianum nomine Augusti appellatum esse, quod ad Jan. 16. Verrii nota recte tradit, Ovidius ad idus Jan. (13.) rettulit. Sed si utriusque diei notas in fastis Praen. cum Nasonis verbis comparamus, haec efficiuntur:

ad Jan. 13. in Praenestinis tabulis est:

Corona quern[a uti super ianuam domus Imp. Caesaris]

Augusti poner[etur senatus decrevit, quod rem publicam]

P. R. rest[i]tui[t.]

et ad Jan. 16.:

Imp. Caesar[Augustus est a]ppell[a]tus ipso VII et Agrip[pa III cos.]

Ovidius autem I 587 sqq. postquam idibus Jan. rempublicam ab Octaviano populo Romano redditam et Caesarem Augusti cognomine ornatum esse exposuit, his versibus (613 sqq.) perorat:

(Juppiter)

augeat imperium nostri ducis, augeat annos,

protegat et vestras querna corona fores, e. q. s.

Apparet igitur ab Ovidio in hemerologio suo ad Jan. 13. eandem notam esse lectam, quam adhuc fasti Praen. servaverunt. Qua cum nota aptissime coniungere potuit, quae paulo infra ad Jan. 16. legit, ob eam causam, quia res ipsae, quae his notis traduntur, artissime inter se cohaerent. Etenim pro potestate senatui populoque Romano reddita et cognomen Augusti et corona querna Caesari Octaviano decreta sunt. Itaque neque persuadere mihi possum, poetam ex alio quo fonte comperisse idibus Jan. Octaviano nomen Augusti esse inditum, nec Mommseno (l. c. p. 384) concedam 'errore, sed excusabili' omnia haec ad idus eum rettulisse. Immo sine ulla dubitatione confirmaverim notas eodem modo, atque adhuc in Praen. extant, in suis fastis duobus diebus adscriptas a Nasone consulto contractas esse. —

Jam quae adhuc constare nobis visa sint, complectamur. Ovidius non modo eodem delectu notarum fastorum publicorum, qui in fastis Praen. extat, usum esse, sed etiam in nonnullis locis has solas notas in carmine condendo adhibuisse videtur.

Graviora vero ea sunt, quae ad fastos illustrandos Ovidius Verriusque attulerunt. Quae, ut erat propositum, accurate iam contemplemur.

Inter notas ex fastis publicis sumptas, quibus interpretationem

vel explicationem addere Verrius neglexit, haec una ad Mart. 7. insculpta restat:

[ . . Vedi]ovi artis Vediovis inter duo  
lucos,

quibus verbis quamvis corruptis <sup>1)</sup> tamen eadem significari atque Ovidii versibus III 429 sq.:

Una nota est Marti nonis, sacrata quod illis  
templa putant lucos Vediovis ante duos.

iam supra (p. 7. 2.) commemoravimus.

Versibus autem, qui sequuntur, poeta primum de asylo, quod Romulus eodem loco inter duos lucos aperuit, deinde de statua Vediovis in templo illo collocata, tum de nomine dei loquitur. Quarum rerum primam puer certe apud ludi magistrum discebat, alteram, statuam dico, quotienscunque volebat, ipse in templo adspicere poterat. Quae vero de nominis forma atque significatione profert, nullius doctrinam produnt nisi eiusdem Verrii Flacci, auctoris fastorum Praen. Etenim apud Paulum, qui Festi, epitomatoris Verrii, libros de verborum significatione excerpserit, scriptum videmus (p. 379 Muell.): 'Vesculi male curati et graciles homines. Ve enim syllabam rei parvae praeponerant, unde Veiovem parvum Jovem et vegrandem fabam minutam dicebant'. (cf. Festum p. 372 Paulumque p. 373 s. v. vegrande.) Ovidius autem canit III 445—448:

Nunc vocor ad nomen. vegrandia farra coloni,  
quae male creverunt, vescaque parva vocant.  
vis ea si verbi est, cur non ego Vediovis aedem  
aedem non magni suspicer esse Jovis? —

In omnibus autem aliis locis et apud Verrium et apud Ovidium praeter fastorum publicorum notas explicationes, quae grammaticorum

---

<sup>1)</sup> „Fortasse ‘artis’ corruptum est ex ‘aedis’ exciditque praeterea ‘dedicata’. Ante ‘Vediovi’ spatium requirit alia.“ ait Mommsenus (l. c. p. 388) reiectis aliorum coniecturis. Quod post eum Huschkius (l. c. p. 248, not. 126) tentavit:

[(hoc die) fit atra] ovi in aris Vediovis inter duo[s] lucos  
vereor ne nemini arrideat, qui usum loquendi fastorum Praen.  
cognoverit.

doctrinam sapiunt, leguntur. Ex his quattuor illos, qui in fastis Praen. integri servati sunt, cum Ovidio comparemus.

I. Ac primum quidem, quae ad Apr. 1. fasti Praen. ita praebent:

Frequenter mulieres supplicant  
Fortunae Virili humiliores etiam  
in balineis, quod in iis ea parte corpor[is]  
utique viri nudantur, qua feminarum  
gratia desideratur.

copiosius occurrunt apud Ovidium IV 133—162. Sed ex ipsis fastorum Praen. verbis et ex aliis testimoniis<sup>1)</sup> Mommsenus suo iure contendit a Praenestino quadratario sententiam corruptam esse verbis quibusdam omissis atque scripserit Verrius necesse esse ita fere: 'frequenter mulieres supplicant honestiores Veneri Verticordiae, Fortunae Virili humiliores, etiam in balineis cet.' (l. c. p. 390.) Ad haec vero verba multo etiam propius accedunt, quae Ovidius enarrat. Ex eis autem rebus, quas in hoc Ovidii capite ad fastorum auctoritatem referre prohibemur, ea, quae de lavatione ceteroque cultu habet poeta vv. 133—139 et 151—156 facili negotio a feminis, quas novit, comperire poterat; causam deinde, quam exhibet vv. 140—144, haud dubie ipse sibi finxit.

Si vero de causa dedicationis aedis Veneris Verticordiae (157—160) ea cognovisset, quae Plinius (H. N. VII 120. Preller-Jordan, Röm. Myth. I 446 sq.) memoriae prodidit, fabulam de virgine fulminis ictu nudata suo ingenio aptissimam certe non omisisset. Quare conicere licet hac de re nihil nisi annotationem brevissimam in Nasonis fonte fuisse.

2. ad cal. Mart. fastorum Praen. notam ab epitomatore male contractam et operarum peccato obscuratam esse Mommsenus vidit

---

<sup>1)</sup> Lydus de mensibus IV 45, Plut. Num. 19, praecipue autem Macrob. Sat. I 12, 15, qui postquam mensem Aprilem ab Aphrodite nomen traxisse negavit, ita pergit: 'non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent, cuius rei causam, quia huic loco non convenit, praetereundum est.' Recte vidit Mommsenus (l. c. p. 390.) haec ad festum Veneris Verticordiae spectare. Causam scilicet, quam fasti Praen. Ovidiusque tradunt, Macrobius pudoris causa omisit. Sed accuratius postea (p. 27) in hunc locum inquiremus.

(l. c. p. 364). Eiusdem vero auctoris annotationem integram Ovidio ante oculos fuisse facile, ni fallor, intellegitur comparata ipsa nota:

Martius ab Latinorum [Marte; appel]landi itaque apud Albanos et plerosque [po]pulos Lat[ii m]os idem fuit ante , conditam Romam. Ut a[u]tem alii cre[du]nt, quod et<sup>1)</sup> sacra fiunt hoc mense.

cum Ovidii versibus III 79—98. Neque abhorret a poetae verbis Festi doctrina p. 150: 'Martius mensis initium anni fuit et in Latio, et post Romam conditam, quod ea gens erat bellicosissima, cuius rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, a numero appellati, ultimum habent Decembrem.', quocum loco praecipue conferas Ovidii versus 85 sq.

Mars Latio venerandus erat, quia praesidet armis,  
arma ferae genti remque decusque dabant.  
et 149 sq. (Martius mensis primus fuit, nam)  
denique quintus ab hoc fuerat Quintilis, et inde  
incipit, a numero nomina quisquis habet.

Praeterea autem Ovidius in hoc capite, quo nomen mensis Martii explicat (III 1—166), haec profert. Primo loco (9—70) fabulae de Romulo Remoque et de urbe condita narrantur, de quibus sine ullo dubio certum auctorem neque adiit neque secutus est poeta. Deinde traditur Romulum ob patrem Martem mensi Martio nomen ndidisse (vv. 71—78), quam sententiam vulgo creditam a Varrone reiectam et vera interpretatione, quam apud Verrium Ovidiumque (79—96) modo invenimus, correctam esse constat. (Censorinus de die natali 22, 9 sqq.) Ovidius autem, postquam utramque explicationem repetivit, versibus 97 sq. eas ita coniunxit:

Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,  
sanguinis auctori tempora prima dedit.

Tum agitur de anno decem mensium, postea a Numa Caesareque emendato (99—166), quae eadem iam in primo fastorum libro (27—44) occurrunt. Hanc totam doctrinam praeter duos illos versus 149 sq., qui cum Festo consentiunt, ad Verrium Flaccum referre non possumus. Sed ne ad alium quidem certum auctorem manifesto redeunt. Nam ex eis, quae Huelsenus (l. c. p. 18 sqq.)

---

<sup>1)</sup> Mommsenus: (scr. ei).

de anno a Romulo ordinato, a Numa correcto ex grammaticis Romanis in unum contulit, nihil certi de huius doctrinae auctore meo quidem arbitrato efficitur. Immo talia ab unoquoque auctore, qui de anno Romano scripsit, sive fusius exposita sive brevius perstricta videntur.

3. ad Apr. 4. fasti Praen. haec habent:

Ludi M(atri) d(eum) M(agnae) I(daeae). Megalensia vocantur,  
[quod ea dea  
Megale appellatur. Nobilium mutitationes cenarum  
solitae sunt frequenter fieri, quod Mater Magna  
ex libris Sibullinis arcessita locum mutavit ex Phrygia  
Romam.

De eisdem Megalensibus Ovidius IV 179—372 verba facit. Is primum pompam Matris Magnae tumultuosam, quam ipse sine dubio saepe Romae viderat, describit (181—188). Deinde nonnullarum rerum notabilium causas profert. Quarum duas ad Varronem redire, multum abest, ut Huelsenio (l. c. p. 14. VII.) concedam. Nam Varro apud Augustinum (de civ. dei 7, 24) cum Ovidio in una re consentit, in causa de leonibus deae prolata (215—218), de qua a poeta Varronem aditum esse quis praeter Huelsenium credat? In aliis (de turribus, Gallis, tumultu) dissentiunt, habetque praeterea Augustinus, quae a Nasone omnino non tanguntur. Immo talia doctrinam grammaticorum ita non redolere mihi quidem videntur, ut ab Ovidio ipso ea ficta vel ex aliorum poetarum locis, quos memoria teneret, commutata esse credere malim.

Nam quae de strepitu festi (194—214), de corona murali deae (219—221), de Attide (221—244), de more stipis dandae (350—352), de Megalensibus primis ludis (357—360), de moreto (367—372) docet, a nullo alio eodem prorsus modo narrantur. Illa vero, quae doctiora videntur, veriloquia dico de mutitationibus et Gallis prolata, quem alium auctorem produnt atque Verrium Flaccum? Versus enim 353—356:

Cur vicibus factis ineant convivia, quaero,  
tunc magis indictas concelebrentque dapes.  
'Quod bene mutarit sedem Berecynthia', dixit  
'captant mutatis sedibus omen idem.'

nonne plane eadem in se habent atque verba, quae ex fastis Praen.



supra excerpſi? Quid? quod Gallorum interpretatio ita, ut in Ovidii carmine legitur (361—366):

‘Cur igitur Gallos, qui ſe excidere, vocamus,  
cum tanto a Phrygia Gallica diſtet humus?’

‘Inter’ ait ‘viridem Cybelen altasque Celaenas  
amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.

qui bibit inde, furit. procul hinc diſcedite, quis eſt  
cura bonae mentis. qui bibit inde, furit.’

etiam apud Paulum occurrit (p. 95): ‘Galli, qui vocantur **Matris Magnae** comites, dicti ſunt a flumine, cui nomen eſt Gallo; quia qui ex eo biberint, in hoc furere incipiant, ut ſe privent virilitatis parte.’?

Reſtant ei verſus, quibus, quomodo dea ex Phrygia Romam venerit, narratur, qua de re poetam ex uberiore fonte quam ex faſtis hauſiſſe elucet.

Quae in faſtis Praen. inveniuntur ‘Matrem Magnam ex libris Sibullinis arceſſitam<sup>1)</sup> locum mutaſſe ex Phrygia Romam’, magno, ſed vulgari poetarum apparatu repetuntur inde a v. 249. Quae accedunt, haec ſunt: a patribus de oraculo Sibyllino conſilii inopibus Apollinem Delphicum conſultum eſſe (261—264), Attalum regem primo recuſaſſe, quominus deam traderet, ſed ab ea ipſa territum mox conceſſiſſe (265—272); porro, quae de Claudia Quinta, de atriis Tiberinis, de dea lavata, de Scipione aliisque auctoribus templi narrantur (291—348).

Ex his fabulam Claudiae de ſcaena Ovidio cognitam fuiſſe, ipſe teſtatur v. 326:

mira, ſed et ſcaena teſtificata loquar.<sup>2)</sup>

Reliqua autem ex Livio ſumpta eſſe Petrus mihi non perſuaſit (v. annotationem eius ad vv. 179—372. p. 167.). Apud illum enim (XXIX 10 ſq. et 14) de Attalo plane contraria, de oraculo Apollinis et de Scipione alia traduntur, deae lavatio et templi auctores omnino non commemorantur. Immo, ſi accuratius in has res inquirimus et Ovidii verſus cum Livii narratione comparamus, ad alios fontes, ni fallor, non uno indicio relegamur. Nam id, quod de Scipione Ovidius

<sup>1)</sup> cf. v. 263: Divum arceſſite matrem.

<sup>2)</sup> Siquidem omnium codicum lectioni non ſicut Rieſius diffidamus, qui ita coniecit:

mira, ſed eventu teſtificata loquar.

commemorat (v. 347), manifesto demonstrat, eum non auctore usum esse, qui sicut Livius copiose narraverat, a Scipione, optimo civitatis viro, deam acceptam et de nave in terram elatam esse, sed qui hanc rem brevissime tantum tetigerat. — Atque quae de legatione Delphos missa et de Attalo poeta refert, talia sunt, ut res, quae apud Livium naturales et verae videntur, mirabiliores et ad expectationem erigendam aptiores videantur, ita ut potius ex poeta quam ex rerum gestarum scriptore hausta ea esse arbitratus sim.

Accedit quod lavatio Matris Idaeae in aliis fastis et apud alios auctores ad Mart. 27. narratur (CIL I p. 390). Unde conicere licet Verrium quoque in suis fastis, in quibus hic dies servatus non est, hac de lavatione locutum esse, Ovidium autem hanc notam ad Apr. 4. distulisse, quippe quo die omnino de Matre Magna disserere deberet. — Nomina denique auctorum templi (348), nonne ex ipsis eius inscriptionibus comperire facillime potuit? —

Paucae igitur res in tribus his locis inveniuntur, quas ad enarrandas virorum doctorum libris usum esse Ovidium verisimile fit. Quarum aliae in fastis Praen. occurrunt, aliae Festo Pauloque testibus ad Verrium Flaccum redeunt, aliae tales sunt, ut facile conicias ex fastis eas esse desumptas.

4. Accedit quarta fastorum nota et a Verrio explicata et integra servata, ad Apr. 25. Sed de hac nota principium solum, quod sic sonat:

Rob(igalia). Feriae Robigo via Claudia ad milliarium

V., ne robigo frumentis noceat.

Ovidius IV 905 sqq. tradit aliisque, quae coram se vidisse ait, illustrat. Quae vero addidit Verrius: Sacrificiu[m]

et ludi cursoribus maioribus minoribusq[ue]

fiunt. Festus est puerorum lenoniorum,

quia proximus superior meretricum est.

poeta non habet. Tamen noli credere hac re demonstrari Ovidium talia in fonte suo non legisse. Neque enim difficile est causam indagare, cur haec leviora poeta praeterierit. Nam si quaerimus, quae fuerit causa, cur ludos Florae accuratius exponere in Maium mensem Ovidius differret (cf. IV 945—948 et V 183—188), re vera eo videtur commotus esse, quod liber quartus plures iam versus quam ceteri libri haberet.<sup>1)</sup> Nonne eadem re adduci potuit, ut graviora.

<sup>1)</sup> Habet enim liber I 724, II 864, III 884, IV 954, V 734, VI 812 versus. Causam, qua utor, Petrus ad IV 943—948 attulit.

tantum huius, de quo agimus, notae carmine suo laudaret? Si vero hanc causam parvi aut nihili aestimes, hoc certe concedas poetam optime sibi consuluisse, cum non omnes Robigalium consuetudines, sed preces potius flaminis elegiarum poeta dignissimas carmini suo insereret (vv. 911—932). Quod si quis putet — id quod equidem non arbitrer — ea, quae de se in Robiginis luco praesente Naso narrat, re vera ita non accidisse, sed ab eo secundum poetarum ius moremque inventa esse: quod de canum sacrificio tradit (vv. 908 et 936 sqq.), si non ad fastos Verrii, at certe ad eiusdem opus de verborum significatione referri potest. Scriptum enim videmus apud Festum p. 285: ‘Rutilae canes, id est non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae saevitiae causa sideris caniculae.’ (cf. Paulum p. 45 s. v. Catularia porta.) —

Sed subsistamus paulisper atque, quae adhuc absolvimus, respiciamus. Comparantibus nobis Ovidii carmen cum tabulis Praen., in quibus dierum laterculo et notas, quas ex publicis fastis excerpserat, et interpretationes, quas ex suae doctrinae thesauro prompsit, doctissimus Ovidianae aetatis grammaticus, Verrius Flaccus, addidit, haec verisimilia videbantur:

1. Ovidius eundem notarum delectum in medium profert, quem Verrius praebet.

2. Doctrina, qua Ovidius has fastorum publicorum notas illustrat, aut tota inest in fastis Praen. aut ad eorum auctorem referri potest. Reliqua aut in omnibus paene libris, quibus de antiquitatibus Romanis agitur, occurrunt, aut a quovis Romano eiusdem ordinis et eruditionis atque Ovidius addi poterant.

Num praecipites videbimur, si nunc iam, postquam omnes locos tabularum Praen. integros perscrutati sumus, profiteamur, quid de Verrio Flacco et Ovidio iudicemus?

Etenim incredibile sane est Ovidium omnino nihil scivisse de his fastis ab aequali praeclaro in foro Praenestino publicatis, neque persuadere mihi possum hoc opere ad libros fastorum condendos utilissimo eum usum non esse, immo inutiles, ne dicam prava diligentia ipsum varios multorum auctorum libros adiisse, ut tabulam fastorum Praen. simillimam sibi concinnaret. Habebatne igitur exemplum e fastis Praeneste collocatis descriptum? Paene tale quid conieci, sed tamen simplicioris etiam ideoque melioris rei fidem fieri posse arbitror.

Neque enim credere possum Verrium Flaccum tantam operam in fastis ordinandis consumpsisse ea sola ratione, ut epitoma neque scite neque diligenter facta in municipio quodam publicaretur. Immo verisimilius videtur opus eius integrum, quia multis hominibus et utile et gratum esse debebat, libellis quoque ab eo publicatum esse. Atque ad hanc rem confirmandam locos quosdam extare Mommsenus iam intellexit (l. c. p. 363). Etenim Macrobius (Sat. I 12, 15) postquam nomen mensis Aprilis ab Aphrodite derivatum esse negavit, ita pergit: 'non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent.' Quae verba rectissime a Mommseno ad notam fastorum Praen. calendis Aprilibus adscriptam tracta esse iam supra (p. 21 not.) commemoravimus. Videtur autem idem vir doctissimus in his Macrobii verbis offensus esse vocibus 'hoc die', post quas signum dubitationis uncis inclusum posuit. Tamen ex his ipsis apparere puto, quali ex opere Macrobius doctrinam suam desumpserit. Nam verbis, quae antecedunt, nomen mensis Aprilis ab aperiendo derivatur: occurrit autem haec explicatio eisdem, etiamsi brevioribus verbis, ut mox videbimus, in loco lacerato, quo in fastis Praen. tabula Aprilis incipit (CIL I p. 364. III. s. v. APR.). Sequitur in eis sicut apud Macrobius nulla alia re intercedente nota de festo Veneris Verticordiae et Fortunae Virilis. Quae cum ita sint, nonne Saturnaliorum locus nullam difficultatem in se habet, dummodo ponamus a Macrobio fastos Verrii Praenestinatorum simillimos inspectos esse, in quibus ante cal. Apr. nominis explicationem, ad cal. Apr. illud 'hoc die constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent,' causamque eius rei invenit? Nam Ludovici Jani explicationem, qui in editione sua Saturnaliorum (Quedlinburgi et Lipsiae 1852) ita annotavit: 'hoc die i. e. aequinoctio verno, cf. § 14.' sufficere negaverim.

Alter autem Macrobii locus, qui nostrae sententiae favet, hic est (I, 10, 7): 'Duodecimo vero (die ante cal. Jan.) feriae sunt Divae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt: quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac sollicitudines animorum propitiata depellat.' Extant autem de huius diei (Dec. 21.) nota paucae litterae in fastis Praen., e quibus id quidem apparet, hoc die egisse Verrium copiosius de Diva Angeronia. Itaque Macrobius, quoniam hoc loco singulos mensis Decembris dies deinceps enumerat atque una cum die festo

veriloquium deae affert, fastis doctrina grammaticorum ornatis usum esse conici licet.<sup>1)</sup>

Quibus Macrobiani locis id, quod ex aliis causis verisimile nobis videbatur, confirmari arbitror a Verrio Flacco fastos publicos docto commentario instructos libellis editos esse. Quae cum ita sint, contenderim Verrii Flacci librum (vel libros) fastorum, quorum epitoma in fastis Praenestinis extat, praecipuum et omnium rerum, quae ex operibus virorum doctorum repetitae videntur, paene solum fontem Ovidii fuisse.

Atque hanc sententiam et omnibus fastorum Praen. locis, qui restant, et ceteris Verrianae doctrinae reliquiis, quas alii auctores servaverunt, perlustratis atque cum Ovidio comparatis multo etiam probabilior fieri existimo. Quam ad rem nunc, si placet, aggrediamur. Ita autem rem instituamus, ut a simplicibus ad contorta et difficilia paulatim progrediamur.

1. Verrium Flaccum initio fastorum haud aliter atque Ovidium (I 63 sqq.) primum de mensis nomine, tum de calendarum Ianuariarum moribus egisse ostendunt paucae annotationis fastorum Praen. reliquiae:

[appellat]ur in Latio  
[sacrific]at libo, quod

[Janual vocatur.]

Conferas praecipue vv. 127 sq.:

inde vocor Janus. cui cum Ceriale sacerdos  
imponit libum farraque mixta sale, e. q. s.

Atque idem Paulus habet p. 104: 'Janual libi genus, quod Jano tantummodo libatur.' — Quae autem Ovidius docet vv. 103 sqq.:

Me (sc. Janum) Chaos antiqui — nam sum res prisca — vocabant  
cet.

apud Paulum p. 52 scriptum videmus: 'Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque in profundum. Ex eo et *χάσκειν* Graeci, et nos hiare dicimus. Unde Janus detracta aspiratione nominatur ideo, quod fuerit omnium

<sup>1)</sup> Utrumque Macrobiani locum ex Verrii Flacci 'libello qui Saturnus inscribitur' (Macr. sat. I 4, 7) ducta esse vereor ne non recte coniecerit C. Odofr. Muellerus in praef. Festi p. XIV. Neque tamen negaverim hunc libellum ortum esse ex studiis fastorum Romanorum, quibus hic grammaticus operam dabat.

primus; cui primo supplicabant veluti parenti, et a quo rerum omnium factum putabant initium.' Cui loco Muellerus annotavit: 'Haec de Jano doctrina Verrio peculiaris fuisse videtur.'

2. Manifestius vero idem consensus Ovidii Verriiqueprehenditur in titulo, ut ita dicam, Aprili mense praemisso. Etenim ad cal. Apr. praebent fasti Praen.:

[Aprilis a] Venere, quod ea cum [Marte iungitur, mater Aene]ae regis [Latinor]um, a quo P.R. ortus e[st . . . . . ho]c mense, quia fruges flores animaliaque ac maria et terrae aperiuntur.

Rursus omnia, quae hac nota adeo in angustum coacta sunt, ut vix bene intellegantur, inveniuntur in carmine Ovidii. Nam versus IV 25—28, 57—60, 130 priorem opinionem a Verrio Flacco prolatam referunt, versus 85—89 alteram, a Macrobio quoque, ut supra vidimus, ex Verrio exscriptam, quam ideo a poeta reiectam esse, 'quia Veneris laudatio aptior videbatur ad carmen exornandum quam aperiendi vocabulum' rectissime animadvertit Huelsenus (l. c. p. 26).

3. ad Jan. 9. longa fuit annotatio in fastis Praen., in qua de veriloquiis vocis Agonalium disseruisse Verrium tria, quae restant, vocabula testantur:

Agonia  
aut quia.

De eisdem verba facit Ovidius I 319 sqq. E sex autem explicationibus, quas profert, una atque ea quidem, quam veram iudicat, certo indicio Verrio Flacco tribui potest. Conferas enim Ovidii versus I 323 sq.

Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu  
nomen Agonalem credit habere diem.  
et 131 sq.

Et pecus antiquus dicebat 'agonia' sermo,  
veraque iudicio est ultima causa meo.  
quibus una interpretatio re vera enarratur, cum Pauli verbis p. 10: 'Agonias hostias putant ab agendo dictas.' et 'Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant.'

Quod autem alias praeterea explicationes et Ovidii apud Paulum et Pauli apud Ovidium frustra quaerimus, nostrae sententiae repugnare negaverim, quoniam ex integra Verrii interpretatione Agona-

lium ab utroque ea, quae maxime placerent, exscripta, reliqua ommissa esse verisimile est.

4. ad Apr. 21. Mommsenus de annotatione fastorum Praen. Parilibus adscripta, quam ita reddidit:

PA[R](ilia)

est

dae. Qu[are autem hoc die . . . . . per]

ignes tran[siliant . . . . .]

principio an[ni pastoricii. . . . .]

redigitur.

haec disseruit (l. c. p. 391): 'Ex longa Verrii adnotatione de Parilium origine ritibusque paucae litterae quae remanserunt hoc ostendunt extremo capite eum exposuisse de nota consuetudine Parilibus ter per stipulas accensas transiliendi, deinde egisse de anno pastoricio, qui ut prospere eveniret sacra haec obibantur.' Utrumque Ovidius quoque commemorat IV 727:

certe ego transilui positas ter in ordine flammis,  
et 781 sq.

moxque per arduas stipulae crepitantis acervos  
traicias celeri strenua membra pede,  
porro 775 sq.

quae precor, eveniant, et nos faciamus ad annum  
pastorum dominae grandia liba Pali.

Deinde autem conferas Festi verba (p. 237 = Paul. 236): 'Parilibus urbem condidit Romulus, quem diem festum praecipue habebant iuniores.' cum Ovidio IV 806 sqq. Sed utrum Parilia an Palilia scribendum esset, quod Verrium disseruisse Paulus (p. 222. cf. Fest. p. 245 sq.) testatur, poeta suo iure non laboravit.

5. ad Apr. 23. in fastis Praen. extat:

VIN(alia) Jo[vi]

M

ded[ . . . . . vini omnis novi libamentum Jovi]

consecratum [est, cum Latini bello preme-]

rentur ab Rutulis, quia Mezentius rex Etru[sco]rum  
paciſcebatur, si subsidio venisset, omnium annorum  
vini fructum.

En habes eandem fabulam, quam Ovidius ad eundem diem IV 879—900 tradit. Neque abhorret ab eis, quae fasti Praen.

Ovidiusque tradunt, Festus, qui p. 265 ita disserit: 'Rustica Vinalia appellantur mense Augusto XIII. (scr. XIII.) Kal. Sept., [quo die primum in urbem vina deferebant,] Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei deo dedicaverunt. eodem autem die Veneri templa sunt consecrata; alterum ad Circum Maximum, alterum in luci libitia densi (scr. luco Libitinensi), quia inpius (scr. in eius) deae tutela sunt horti.' Quae uncis rectis inclusi, optimo iure addidit Muellerrus. ex Paulo p. 264: 'Rustica Vinalia XIV. Kalendas Septembris celebrabant, quo die primum vina in Urbem deferebant.'

Ea vero, quae idem vir doctissimus praeterea ante Festi verba. 'Jovis dies festus' cet. excidisse sibi persuasit: 'Erant etiam alia Vinalia mense Aprili IX. Kal. Maias,' re vera desiderari infitias eam, quamquam his verbis receptis manifesto consentirent nota. fastorum Praen. Festusque. Consentiunt enim meo quidem iudicio ita, ut nullo auxilio egeant. Nam Gilbertus (Fleckeis. Jahrb. 1878. CXVII. p. 780.) recte intellexit fabulam de voto Aeneae sic narrari a Nasone, ut appareat eum putavisse vinum Jovi die pugnae (Apr. 23.) votum<sup>1)</sup> postea autumn<sup>2)</sup> sacrificatum esse. Ovidius igitur et Vinalia priora (Apr. 23.) et Vinalia rustica (Aug. 19.) ex voto Aeneae celebrari existimavit.<sup>3)</sup> Is autem, qui ita indicavit, nonne merito ad utrumque diem eandem fabulam enarrare potuit? Nonne contra concludendum est eum, qui hanc fabulam ad utraque Vinalia tradit, eodem modo atque Ovidium de harum

---

<sup>1)</sup> cf. IV 894: Juppiter, e Latio palmitē musta feres!  
et 888: — de lacubus proxima musta tuis.

<sup>2)</sup> cf. IV. 897 sq. venerat Autumnus calcatis sordidus uvis:  
redduntur merito debita vina Jovi.

<sup>3)</sup> Quo iure Naso vel potius Verrius Flaccus ita indicaverit, inquirere huius loci non est. Incidunt autem non raro critici in errores ea de causa, quod quae poetae libuerunt, cum vera rerum condicione, quam sciunt vel se scire opinantur, comparant atque confundunt. Neque facere possum, quin Petro quoque, viro alias gravi, de eis quae ad IV 863 sqq. in parte secunda editionis suae (p. 61 sqq.) affert, talia crimini dem. — De vera autem natura Vinalium maxime probabilia a Mommseno (CIL I p. 392 et 399) in medium prolata esse iudico.



feriarum causa sensisse? Attulit autem Verrius hanc narrationem et ad Apr. 23. in fastis Praen. et ad Aug. 19. in opere de verborum significatione.

Quae autem de festo Veneris hoc eodem die celebrato Ovidius IV 865—876 scribit, si non in lacuna tabularum Praen., at certe in maioribus, ut ita dicam, Verrii fastis annotata fuisse ex eo concluderim, quod in nota ad Robigalia servata (Apr. 25. cf. supra p. 25. 4.) tale aliquid respicitur his verbis: 'Festus est puerorum lenoniorum, quia proximus superior meretricum est.' (Mommsen, l. c. p. 392). Quare non vereor existimare a Verrio quoque in delectu suo rationem habitam esse notae fastorum publicorum, quam hemerologium fratrum Arvalium ita nobis servavit:

[V]eneri Eruc[inae extr]a port(am) Collin(am).<sup>1)</sup>

Itaque ex hoc de Vinalibus capite egregium in modum intellegi potest, quantopere Ovidius Verriusque consentiant.

6. ad Apr. 12. ludos Ceriales ut ab Ovidio IV 393—416 ita a Verrio tractatos esse, unum, quod restabat, vocabulum annotationis: fructus

testatur. —

A subtilitatibus vero grammaticorum ingenium Ovidii alienum fuisse iam supra exposuimus. Accedit quod grave est negotium ea, quae viri docti multis verbis enucleare laborant, elegis plene et perfecte dicere. Itaque non miramur, quod eae annotationes, quibus dierum litteras ac nomina Verrius interpretatur, ab Ovidio multo brevius et parum accurate repetitae sunt.

1. Jam supra (p. 15. 5.) de nota Q. R. C. F. disseruimus. Explicationes autem duas, quas Verrius in annotatione ad Mart. 24. exposuit:

Hunc diem plerique perperam  
interpretantes putant appellar[i],  
quod eo die ex comitio fugerit

[rex; n]am neque Tarquinius abiit ex comitio  
[urbis] et alio quoque mense eadem sunt  
[idemque s]ignificant. qu[are comitiis factis]  
[iudici]a fieri indica[ri iis magis putamus.]

<sup>1)</sup> Ephem. epigr. I p. 35.

quamquam ad hunc diem silentio praeteriit, tamen ad Mai. 24. (V 727 sq.) in transcurso quidem monuit Ovidius:

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis  
vel mos sacrorum vel fuga regis inest.<sup>1)</sup>

2. Neque aliter res se habet eis lotis, quos fastis suis Verrius inseruit, Ovidius praemisit. Quae enim leguntur apud poetam I 47 sq.

Ille (sc. dies) nefastus erit, per quem tria verba silentur,  
fastus erit, per quem lege licebit agi,

in Praenestinis tabulis inveniuntur, ut Bergkii quidem locos restituit, ad Jan. 2.:

[hic dies fastus est. fasti dies appella]ntur, quod iis licet fari(ei?) apud  
[quem lege agitur, do dico addico, sine quibu]s verbis lege agi non potest.  
et ad Jan. 3.:

[nefasti dies appellantur, quibus ei, apud]  
quem lege [agitur, non licet fari tria verba sollemnia, sine quibus]  
lege agi non [potest.]

Ovidius autem, cum pergit I 49—52:

nec toti<sup>2)</sup> perstare die sua iura putaris:

qui iam fastus erit, mane nefastus erat;

nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,

verbaque honoratus libera praetor habet.

manifesto idem significat atque fasti Praen. ad Jan. 10., quem locum ita supplevit Mommsenus:

EN Haec nota significat diem intercisum, nam endo olim]  
pro in ponebatur. [Die interciso nefas est mane ante-]  
quam hostia inmol[etur et post exta porrecta rursus]  
nefas fit. Itaque sa[epe responsum est medio tempore]  
licere agi.

Porro versus sequens I 53:

est quoque, quo populum ius est includere saeptis,

respondet notae Praen. ad Jan. 3. (Bergk)

[Comitiales dies appellantur, quibus popul]us coire convocare cogi potest:  
ac lege a[gi iisdem licet].

<sup>1)</sup> cf. Festum p. 278 (Paul. 279) et p. 258 (Paul. 259) et de horum locorum restitutione Mommsenium CIL I p. 367. 3). — Huschke l. c. p. 162 sqq.

<sup>2)</sup> De versus lectione v. Petrum in parte II. editionis p. 6.

sicut vv. 57 sq.

omnibus istis (sc. calendis idibus nonis)

— ne fallare cave! — proximus ater erit,  
notis fastorum Praen. ad Jan. 2. (Bergk)

Idem

[ater est: atri appellantur ex s. c. dies pos]tridie omnis calendae, quod iis  
[sacrificium non recte fit.]

ad Jan. 6. (B.)

[hic] dies [vitosus est, ut sunt dies postridie omnis nonas ob eandem]  
causa[m quam postridie omnis calendae.]

ad Jan. 14. (B.)

Vitosus ex s. c., ut sunt dies postridie omnis idus, quod iis sacrificium ob  
eandem causam q[uam post]ridie omnis calendae n[on recte fit.]

Exscripsi autem locos, quos modo recensui, plerumque ita, ut  
post Mommsenum a Bergkio (Fleckeis. Jahrb. CV p. 37 sqq.)  
restituti sunt. Etenim Bergkii supplementis, quibus neque paucis  
neque levibus causis permotus, imprimis autem eo consilio, ut Festum  
Paulumque et notas fastorum Praen. inter se conciliaret, doctas  
Mommseni coniecturas (l. c. p. 312, 367 sq., 373.) correxit<sup>1)</sup>, efficitur,  
ut magis etiam Ovidius cum Verrio consentiat. Ut unum afferam  
exemplum, ad Jan. 2. Mommsenus supplevit:

[Hic dies fastus est. fasti dies appe]llantur, quod iis licet fari apud  
[praetorem, ut nefasti, quibus certi]s verbis lege agi non potest. Idem  
[religiosus est, ut sunt dies pos]tridie omnis calendae, quod iis  
[sacrificium non fit.]

Bergkii restituit:

[Hic dies fastus est. fasti dies appe]llantur, quod iis licet fari apud  
[quem lege agitur, do dico addico, sine quib]us verbis lege agi non  
[potest. Idem

[ater est: atri appellantur ex s. c. dies pos]tridie omnis calendae, quod iis  
[sacrificium non recte fit.]

Ovidius cecinit:

I 47 sq. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,  
fastus erit, per quem lege licebit agi.

<sup>1)</sup> Huschkii quoque (l. c. p. 209 [F. N.] 196 [EN.] 311 not. 221  
[C.] 287.) operam dedit, ut Mommsenum corrigeret, sed haud scio an  
causae, quas profert, a solis iuris consultis intellegi et iudicari possint.

I 57 sq.

. . . omnibus istis

— ne fallare cave! — proximus ater erit.

Cum autem Bergkins minime id studuerit, ut Verrium Flaccum cum Ovidio quam maxime conciliaret, cur hoc argumento sententiae nostrae uti non liceat?

3. Ob easdem autem causas, quibus permotum Ovidium eas notas, quas modo perlustravimus, non ita accurate reddidisse verisimile est. has annotationes eiusdem doctrinae plenas prorsus ab eo neglectas esse contenderim:

ad Jan. 1.

Hae et

[cete]rae calendae appellantur, quia

[pri]mus is dies est, quos pont[i]fex minor quo-

[vis] mense ad nonas sin[gulas edicit]

[in Capi]tolio in curia Cala[bra. Ann]us no-

[vus incipit,] quia eo die mag[istratus] ineunt; quod coepit

[P. R.] c. a. DCI.

Nam versus, qui extremae huic annotationi respondent, I 81 sq.

Iamque novi praeceunt fasces, nova purpura fulget,

et nova conspicuum pondera sentit ebur.

ex hemerologii annotatione poeta certe non didicit.

Atque ut calendarum, ita iduum interpretationem omisit Naso, de qua paucae quidem litterae adhuc in tabulis Praen. extant: (ad Jan. 13.)

Putā . . .

id es[t] . . .

non . . .

ali . . .

Qua annotatione non solum de idibus sed etiam de signo NP (cf. Festum p. 165.) Verrium egisse aliqua cum probabilitate Mommsenus (l. c. p. 367. 6.) et Huschkus (l. c. p. 239. not. 119.) coniecerunt. Sed hoc neminem in Ovidii carmine desiderare arbitror.

Omisit denique Ovidius nonarum explicationem, quae quondam ad Jan. 5. adscripta erat. (Fest. p. 173.)

Fortasse ex copiosioribus annotationibus, quas in maioribus suis fastis ad cal. non. id. Jan. Verrius habebat, hausit poeta vv. I 55 sqq.:

Vindicat Ausonias Junonis cura calendas,  
idibus alba Jovi grandior agna cadit,  
nonarum tutela deo caret.

Cuius rei vestigium quidem extat apud Paulum p. 104:  
'Idulis ovis dicebatur, quae omnibus idibus Jovi mactabatur.'

Multa igitur adhuc invenimus, quibus nova, ni fallor, adduntur  
argumenta sententiae nostrae a poeta exemplum fastorum a Verrio  
Flacco editorum in usum vocatum esse, nulla autem, quae huic  
sententiae adversa fronte obstant.

Graviores vero difficultates nobis parare videntur ei fastorum  
Praen. loci, qui alia atque Ovidius docent. Quas notas, quae  
solae restant, nunc deinceps recenseamus.

1. Ad Mart. 23. Tubilustrum ita in fastis Praen. explicatur:  
[Feriae] Marti. hic dies appellatur ita, quod  
in atrio sutorio tubi lustrantur,  
quibus in sacris utuntur.<sup>1)</sup> Lutatius  
quidem clavam eam ait esse in ruina Pala-  
[ti] incensi a Gallis repertam, qua Romulus urbem  
inauguraverit.

Ovidius autem idem festum duobus his versibus absolvit  
III 849 sq.

Summa dies e quinque (i. e. ultimus Quinquatrum dies) tubas  
lustrare canoras  
admonet et forti sacrificare deae.

Differunt igitur hi loci inter se primum ita, ut Verrius loquatur  
de Martis, Ovidius de fortis deae sacrificio, qua Minervam significare  
videtur legentibus nobis versus, qui antecedunt, 809—848. Sed  
cum Lydus (de mens. IV 42) scribat ferias celebrari eo die Marti  
et Nerieni, Martis uxori, utrumque deum commemoratum esse  
contenderim in maioribus Verrii Flacci fastis, quos hoc ipso loco  
male in compendium redactos esse mox videbimus. Ex his duobus  
deis is, qui fastos Praen. confecit, Martem solum posuit, Nerienem  
solum Ovidius respexit, qui aut hanc deam significabat, cum fortem  
deam laudabat, aut Nerienem cum Minerva confundebat, id quod  
et ipse (III 681) et posteriores (Porphyrio ad Horat. epist. II 2,  
209) fecerunt.

<sup>1)</sup> cf. Fest. p. 352, Paul. p. 353.

Deinde quae fasti Praen. de atrio sutorio, loco tubilustrii, et de clava Romuli tradunt, a poeta non commemorantur. Prius illud leve est et vix desideratur; de altera vero re Mommsenus egregie et peracute ita disseruit (l. c. p. 389): Fabella de lituo Romuli 'hoc loco valde inconcinne adsuta est ad tubilustrii interpretationem estque hic locus inter eos, quos non tam a Verrio scriptos esse credas, quam male ex scriptis eius excerptos; nam a tuba ad lituum etsi simillimum eius, deinde a lituo quo canitur ad lituum auguralem, qui ab illius similitudine nomen invenisse dicitur, transitio sic quasi quodam saltu omissis intermediis nullo modo fieri debuit.' Et quisquam dubitabit, quin haec non ex scriptis Verrii aliquibus, sed ex maioribus fastis eius excerpta et a Nasone, quippe quae cum tubilustrio omnino non cohaerent, optimo iure silentio praeterita sint?

Similem in modum rem se habere arbitror de Carmentalibus et Matronalibus.

2. Etenim ad Jan. 15. annotatum est in fastis Praen.

Feriae Car[me]nti ob eandem caus[sam] quod]

III. idus. Hic [d]ies dicitur institutu[s] ab . . . ]

si Fidenas eo die cepisset.

De nota autem, quae hic respicitur, ad Jan. 11. haec sola servata sunt:

[Feriae Carmenti . . . . . quae partus curat omniaque] futura; ob quam ca[us]sam in aede eius cavetur ab scorteis omni[que] omine morticino,

ut in universum sine dubio recte Mommsenus ex Varrone (L. L. VII 84) supplevit. Nescimus igitur, quoniam neque Festi neque Pauli reliquiis Carmentalia commemorantur, quid Verrius de causa huius festi docuerit. Ad eosdem autem dies Ovidius de Carmentalibus disserit. Ad priorem vero primum refert hoc die et Carmentae et Juturnae sacra fieri (I 461—468), tum de Euandro Carmentaque in Italiam pervectis (469—542) atque de Caco ab Hercule interfecto (543—584) talia canit, qualia non tam ex grammaticis quam ex poetis eum hausisse apparet et quibus magis de vi ac natura deae quam de 'causis moreque horum sacrorum' (v. 465) certiores fimus. Quae vero ex ipsis fastis ei discere licuit, ad secundum festi diem videtur repetivisse. Frustulum quidem notae ad Jan. 11. supra exscriptae idem docet atque vv. 629 sq.:

Scorteia non illi fas est inferre sacello,  
ne violent puros exanimata focos,  
qui apud poetam ad Jan. 15. occurrunt.

Adversa autem fronte videntur sibi obstare Ovidius et Verrius, cum diversas additorum secundorum Carmentalium causas referant. Hic ait: 'Hic dies dicitur institutu[s ab . . . .] si Fidenas eo die cepisset', ille fabulam de matronis, quae ob carpenta interdicta partus sibi abegissent, narrat. Tamen cavendum est, ne huic discrepantiae nimis tribuatur. Etenim non modo ea, quae Flaccus tradere videtur, praeterea non produntur, et lacunam fastorum Praen. quamvis exiguam certum in modum supplere ne Mommseno quidem contigit<sup>1)</sup>, sed etiam quomodo Carmentalia cum Fidenis captis cohaereant, intellegi vix potest. Quibus de causis equidem existimare malim, hoc quoque loco, ut ad Mart. 23., incuria epitomatoris maiorum Verrii fastorum post verba 'hic dies dicitur institutu . . . .' plura excidisse, ea autem, quae sequuntur, ad aliam rem spectare, quam ut hoc die narraret Verrius nescio quo modo adductus sit.

3. Deinde ad Mart. 1. primo quidem obtutu dissentire videntur Verrius et Ovidius.

Ille enim annotavit:

Feriae Marti. Jun[o]ni Lucinae Exquiliis,  
quod eo die aedis ei[dedica]ta est per matronas<sup>2)</sup>,  
quam voverat Albin[ia . . . .] vel uxor si puerum  
[ . . . . . at]que ipsa[m] . . . . .,

hic autem inter varias Matronalium causas, quas affert (III 170 sqq.), eam, quam in fastis suis Verrius videtur docuisse, non attingit. Tamen ne hoc quidem loco versus desunt, qui Verrii notae aliquo modo responderent. Ait enim poeta inde a. v. 245:

Adde, quod excubias ubi rex Romanus agebat,  
qui nunc Esquilias nomina collis habet,  
illic a nuribus Junoni templa Latinis  
hac sunt, si memini, publica facta die.

De eis autem, quae Naso non praebet, ut eadem, quae modo proposui, de quadratarii incuria coniciam Mommseni verbis (l. c. p. 387)

<sup>1)</sup> 'Spatium brevius aliquanto supplementum (quam alii excogitaverunt) requirit, exempli causa „ab Romulo“ vel „ab Anco“ ait v. d. l. c. p. 384.

<sup>2)</sup> cf. Paulum p. 147 s. v. Martias calendas.

adducor, qui 'Verrii verba' inquit 'cum lacera tum etiam mendosa, cum in „vel“ vocabulo nomen mariti Albiniae latere videatur, quomodo restituenda sint hodie ignoratur.' Haud scio an ille pluribus ommissis ea, quae a Matronalibus longius aberant, quam ut a poeta repeti possent, male in compendium redegerit.

4. Restant inter eos locos, qui in fastis Praen. prima manu incisi sunt, nota ad Mart. 19., cuius primam partem magna cum probabilitate ita restituit Mommsenus:

[QVIN]Q(uatrus) . . . . .

[rectius tamen alii putarunt]

[dictum ab eo quod hic]

[dies est post diem V. idus,]

[quo]d in Latio post [idus dies simili fere]

[ratione decli]narentur.

Festus enim de eisdem Quinquatribus p. 254 sq. ita loquitur: 'Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui fere his celebrantur; quo scilicet errant tam hercule, quam qui triduo Saturnalia et totidem diebus Compitalia, nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli eius exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum iduum est is dies festus, ut apud Tusculanos triatrus et sextatrus et septimatrus et Faliscos decimatrus.' (cf. Paul. p. 255.)

Veriloquium autem vulgare, quod his locis refutat Verrius, Ovidius III 809 sq.

. . . sacra Minervae,

nomina quae iunctis quinque diebus habent.

sequitur, cum verum silentio praeterit. Sed sequiturne ex illo silentio in poetae fonte talia omnino non fuisse? Minime, puto. Immo miraremur, si tales grammaticorum argutias carmine suo, quo aequales magis certe delectare quam instruere vellet, admiscuisset, et si ei contigisset, ut rem adeo difficilem versibus elegantibus exponeret.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Vehementer miror, qua ratione Mommsenus loco Varronis de Quinquatribus (L. L. VI 14) exscripto, qui eadem atque fasti Praen. Festusque docet, pergere potuerit: 'Derivationem quam hic refutat Varro antea in antiquitatum libris ipse videtur secutus esse, quoniam aliam non novit Ovidius.' (CIL I p. 389.)



Pergit deinde nota fastorum Praen. in hunc modum:

Artificum dies,  
[quod Minervae] aedis in Aventino eo die est  
[dedicata.]

atque idem scriptum videmus apud Festum (l. c.): 'Minervae autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Aventino consecrata est.'

Respondet autem optime ingenio Ovidii, quod explicationes illas grammaticorum neglexit, de artificum die vero ex sua certe vitae Romanae cognitione multa verba fecit (815—834).

Sed inter se dissidere aperte Ovidium Verriumque contendit Merkelius (proll. fast. p. CIII) ob eam causam, quod grammaticus Quinquatrus Minervae sacras censuerit esse propter aedem in Aventino dedicatam, poeta (III 835 sqq.) in Coelio monte. Iniuria autem hunc in modum iudicavit. Nam duae res sunt, quae comparari omnino non possunt. Ut Ovidius templum Minervae in Aventino hoc die dedicatum non appellaret, casu quodam accidisse arbitratus sim. Legebatur talis nota sine dubio in eo fonte, ex quo vv. 809 — 834 poeta hausit. Quae sequuntur de dedicatione templi Captae Minervae (835—848) alteram praeterea notam in fastis, quos inspexit, fuisse ostendunt, cuius vestigia sane omnia perierunt, nisi quod conferri licet unum cognominis Captae veriloquium vv. 845 sq.

an quod habet legem, capitis quae pendere poenas  
ex illo inbeat furta reperta loco?

cum Pauli verbis p. 66: 'Capitalis lucus, ubi, si quid violatum est, caput violatoris expiatur.'

Concluditur denique tabularum Praen. annotatio ita:

[Sali] faciunt in comitio saltu  
[cum po]ntificibus et trib(unis) celer(um).

Haec quoque suo iure Ovidium omisisse puto. Nam ineunte mense (III 259—392) multis iam verbis de Saliis egerat. —

Quotiescunque igitur Ovidius a fastis Praen. discrepat, aut ex poetae aut ex tabularum illarum natura causae afferri possunt, quibus haec discrimina ad nihilum recidunt. Quae cum ita sint, non vereor profiteri locos illos, in quibus Ovidius a Verrii doctrina recedit, nostrae sententiae de amborum ratione et conexu non

modo non obstare, sed potius in eis multas res inveniri, quae huic existimationi egregium in modum favent.

Sed priusquam fastos Praen. relinquimus, duos eorum locos contemplemur, qui eidem aliquo modo cum Ovidio videntur consentire.

Verba enim Ovidii III 55—58:

non ego te, tantae nutrix Larentia gentis,  
nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.  
vester honos veniet, cum Larentalia dicam:  
acceptus geniis illa December habet.

mirum quantum quadrant in notam fastorum Praen. ad Dec. 23. adscriptam:

[LA]R(entalia) [Fer]iae Jovi. Accae Larentin[ae parentalia fiunt.]  
hanc alii Remi et Rom[uli nutricem, alii]  
meretricem, Herculis scortum [fuisse dic]unt;  
e. q. s.

Denique ex his locis, qui post tabulas absolutas manu recentiore additi sunt, unus ab Ovidio quoque in versibus, quos in exilio demum scripserit necesse est, attingitur. Nam ad Jan. 16. praebent fasti Verriani:

Concordiae Au[gustae aedis dedicat]a est P. Dolabella C. Silano co[s.]  
et Ovidius I 637 sqq.

Candida te niveo posuit lux proxima templo,  
qua fert sublimes alta Moneta gradus:  
nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam,  
nunc te sacratae constituere manus. cet.

Sed hoc afferre satis habeo; vereor autem coniecturam nimis lubricam proponere, quomodo hic unus. locus et in tabulis Praen. et in Nasonis carmine postea additus sit. —

Ut vero demonstraremus maiores Verrii Flacci fastos Romae libellis publicatos fontem et caput doctrinae in Ovidii fastis prolatae fuisse, non solum fastos Praen. cum Ovidianis comparavimus, verum etiam altero teste nonnumquam usi sumus, cum in sententiis et Ovidii et Verrii comparandis nostra interesset, huius doctrinam accuratius cognoscere, Verrii eiusdem, dico, opere de verborum significatione, Festi Paulique epitomis memoriae tradito. Atque in eis quoque locis, de quibus ex hoc opere nihil

assequebamur, quod non fastis Praen. compereramus, Festi aut Pauli testimonia in margine quidem apposuimus. Quare demonstratum est — id quod eis considerandum propono, qui de Verrio Flacco fastorum Praen. auctore dubitare nondum desierunt,<sup>1)</sup> — multas res et in hoc glossario et in fastis eadem ratione a grammatico esse explicatas.

Naturam autem librorum de verborum significatione, quibus diversissimas res prolatas esse constat, post C. Odofr. Muellerum perquisivit Henricus Nettleship,<sup>2)</sup> qui de singulis eorum partibus aliam atque vir ille immortalis inter philologos memoriae et meo quidem iudicio rectiorem sententiam protulit. Sed liceat mihi ipsius verbis uti, quibus planissime, quod sentiret, dixit: 'As Verrius wrote a book upon Cato, and also one upon orthography, it is reasonable to suppose that his numerous quotations from Cato, and the remarks on orthography of which I have given examples, are the result of his own researches. Müller thinks that the notes upon Cato were taken by Festus from the treatise of Verrius De Obscure Catonis, and inserted by him in his abridgment of the De Verborum Significatu. We have nothing here but conjecture to guide us; but it would seem more natural to suppose that Verrius included his own notes on Cato in his greater work. Verrius may have written his special treatises, such as the De Orthographia and the De Obscure Catonis, while his great work was in progress or even before it was begun, and afterwards embodied their contents in it.'

Quae his verbis Nettleshipius constituit de ratione, quae intercedat inter Verri libros de obscuris Catonis atque de orthographia et inter opus eiusdem de verb. sign., eadem ego confirmaverim de fastis Verrii. Ita autem ratiocinatus sum. Fastos Praen. a Verrio esse ordinatos Suetonius memoriae prodidit. Multae autem res, quae in

---

<sup>1)</sup> Seeckium imprimis dico (Die Kalendertafel der Pontifices. 1885. p. 98). cf. Wochenschrift für klassische Philologie 1885. no. 28. p. 883\*)

<sup>2)</sup> Lectures and essays on subjects connected with latin literature and scholarship. Oxford 1885. Verrius Flaccus I. (= American Journal of Philology. vol. I. no. 3.) p. 210.

eis annotatae sunt singulis diebus, in libris de sign. verb. occurrunt atque quamquam contractae et mutilatae, tamen nonnumquam uberiores et accuratiores quam in tabulis. Itaque, si eis uti licet, quae Nettleshipius de aliis partibus maximi operis Verrii constituit, verisimile fit a grammatico prius fastos copioso commentario exstructos et editos esse, e quibus postea ea, quae idonea videbantur, paucis mutatis libris de sign. verb. inserta sunt. Ergo et hac via, in qua Ovidii carmen omnino non attigimus, eo adducimur, ut a Verrio Flacco fastos notis multis copiosisque illustratos editos esse pro certo affirmare possimus, quorum epitoma nimirum fasti Praen. sunt.

Proinde quae de hoc opere de sign. verb. et epitomatorum et fortunae arbitrio ad nos pervenerunt, perquiramus atque quae cum Ovidio conferri possint, conferamus, ut magis etiam et certius appareat Verrii fastis Ovidium usum esse.

Quam tamen comparationem non ita instituemus, ut ad unum omnibus locis, quibuscunque sententia aliqua Ovidii respondet, congestis quam accuratissime comparemus singula verba. Neque enim id agitur, ut perquiramus, utrum Ovidius libros de sign. verb. in usum vocaverit necne; quam rem ut suo arbitrio diiudicaret, Merkelius locos ex utroque fonte diligentissime, ut solet, collatos sua ratione comparavit (l. c. p. XCIV—CVI). Sed ex Festi Paulique operibus eos solos locos eligemus, quos Verrii fastis quondam inhaesisse aliqua cum probabilitate conici potest. Tamen ne in his locis eligendis nimis nostro arbitrio indulsisse videamur, omnes eos locos respiciemus, quibus Merkelio (l. c. p. CIII sq.) et inter eos, qui eum sunt secuti, Huelsenio (l. c. p. 40 sqq. XIV.) persuasum est Verrii doctrinam in carmen Ovidii conversam non esse.

Ac primum quidem de mensium nominibus quae extant conferamus. Quomodo in Ianuarii Martii Aprilis explicationibus consentirent Ovidius Verriusque, iam supra intelleximus. Restant igitur Februarius Maius Junius.

De Februario autem haec in Pauli epitoma scripta sunt p. 85: 'Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo mense anni, populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur, vel a Junone Februata, quam alii Februaem, Romani Februlum vocant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia,

quo die mulieres februabantur a lupercis amiculo Junonis, id est pelle caprina; quam ob causam is quoque dies Februatus appellabatur. Quaecunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur. Id vero, quod purgatur, dicitur februatum.' Eodem modo a purgatione Lupercalium nomen Februarii derivat Ovidius II 31 sq.

Mensis ab his (sc. avis, maioribus) dictus, secta quia pelle Luperci omne solum lustrant idque piamen habent.

Atque hunc mensem olim fuisse ultimum anni attingit poeta vv. 49 sqq. (mensis,)

qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni, cet.

Proxime vero accedunt ad Pauli verba 'Quaecunque denique purgamenti causa . . . februa appellantur' Nasonis versus 29 sq.

denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur,  
hoc apud intonsos nomen ('februa') habebat avos.

Immo, si accuratius utrumque locum contemplati erimus, vix dubium nobis fore arbitror, quin in integro Verrii opere similia exempla februorum allata sint, quae ab Ovidio vv. 19—28 enarrantur. Nam tum demum, cum exempla quaedam attulisset, recte pergere potuit Verrius 'Quaecunque denique . . .', quae verba apud Paulum, qui aut suo arbitrio aut Festum secutus exempla illa videtur omisisse, vix bene intelleguntur.

Ex eo autem, quod Februarium mensem dictum esse (vv. 33 sq.)

— quia placatis sunt tempora pura sepulcris,  
tunc cum ferales praeteriere dies,

quam eandem sententiam I 43 quoque poeta amplectitur, apud Paulum non iam legitur, minime sequitur, ut alium atque Verrium auctorem adhibuerit Ovidius.

Eodem modo res se habet in Maio mense. Apud Festum (p. 134) occurrunt haec: 'Maius mensis in compluribus civitatibus Latinis ante urbem conditam fuisse videtur. quae ex causa [appellatus sit, ambigitur (add. Muell.)] utrum a maioribus, ut Junius a iunioribus, dictus sit; an a Maia, quod Mercurio filio eius res divinae [idibus] fiant solennes; an quod ipsi deae in multis Latinis civitatibus sacrificia fiebant . . .' Posthaec autem explicatum esse, cur Bona dea pro Maia haberetur, optimo iure, ni fallor, suspicatus est Muellerus.

Neque aliter Ovidius de vera nominis explicatione dubitat. (V 1—6. 108—110.) Proponit autem tria veriloquia, quorum primum (Maius a Maiestate 11—54) Festus non praebet, alterum tertiumque (Maius a maioribus 55—78 [cf. I 41. VI 88.], a Maia Mercurii matre 79—106 [cf. VI 35.]) cum Verrii opinionibus consentiunt. Quod vero de Maia Latina id est de Bona dea Ovidius non locutus est, quis mirabitur, cum quanto magis in Graecis quam in Latinis fabulis acquieverit nemo nescit.

Atque etiam in explicando Junii nomine tria veriloquia Ovidius proponit. Quem mensem aut a Junone (VI 21—64), aut a iunioribus (65—90. cf. I 41. V 78.), aut a iunctis Romanis et Sabinis (91—96) nominatum esse tradit. Rursus duae harum explicationum Verrii doctrinae respondent: prima, quam Paulus p. 103 ita refert: 'Junium mensem dictum putant a Junone. Iidem ipsum dicebant Junonium et Junonalem.', quibuscum verbis praecipue conferendi sunt versus VI 59 sqq.

inspice, quos habeat nemoralis Aricia fastos

et populus Laurens Lanuviumque meum:

est illic mensis Junonius. inspice Tibur

et Praenestinae moenia sacra deae:

Junonale leges tempus.<sup>1)</sup> —

---

<sup>1)</sup> Ex hoc Ovidii loco verba Festi a Paulo interpolata esse credit Merkelius l. c. p. XCVII, neque aliter de nonnullis aliis locis censet, qui cum Ovidio manifesto consentiunt. Cuius opinionis causam afferre tamen ne conatus quidem est. Sed extat re vera unus locus, quo Ovidius a Paulo nominatur, p. 327: 'Salaciam dicebant deam aquae, quam putabant salum ciere, hoc est mare movere. Unde Ovidius: „Nymphaeque salaces“ cet. Atque cum Ovidii nomen in Festi loco (p. 326), quem Paulus excerpsit, nondum legatur, iure conici licet Paulum ex suo doctrinae penu hoc addidisse. Tamen hic unus locus nihil efficit. Nam inultum abest, ut iure constituamus fastos Ovidianos eo consilio, ut doctrina in eis recondita glossarium Festi augetur, ab eo excerptos esse, qui ad usum unius vocabuli illustrandum semel locum ex Nasone, scriptore notissimo, attulit. A tali studio Festi epitomatores remotissimum fuisse quis negabit? Tum vero verba, quae ex Ovidio citantur, in eius carminibus nusquam reperiuntur, ita ut nescio quo modo erraverit

secunda, quae in Festi loco de Maio supra exscripto invenitur. Tertia autem nusquam praeterea commemoratur.

Quae mensium interpretationes, cum simillimae sint earum notarum, quas in fastis Praen. Martio Aprilique praeфикas invenimus, non dubito, quin in illis quoque quondam extiterint, ab Ovidio autem una cum eis explicationibus, quas insuper habet, e maioribus Verrii Flacci fastis haustae sint.

Litterae Q. ST. D. F, quae in hemerologiis ad Jun. 15. adscribuntur, explicantur a Paulo p. 259: 'Quando stercus delatum fas: eodem modo (sc. quo Q. R. C. F.) in fastis notatur dies, quo stercus purgatur ab aede Vestae.', et a Festo p. 258 (secundum Mommseni restitutionem CIL I p. 367):

[Quando ste]rcus delatum fas eo-  
[dem modo in fastis notatur di]es, qui talis est, ut  
[cum purgetur aedis Vestae] stercusque in clivum Ca-  
[pitolinum deferatur nefas sit,] cum id factum sit  
[fas.]

Adde Festi verba p. 344: 'Stercus ex aede Vestae XVII. cal. Jul. deferitur' cet. atque Festi Paulique annotationes s. v. penus (p. 250 sq.). Doctrinam his locis prolatam complectitur Ovidius VI 713 sq.

Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,  
Thybri, per Etruscas in mare mittis aquas.  
(cf. 227 sq.)

Optime deinde inter se consentiunt Festi verba p. 149: 'Minusculae quinquatrus appellantur idus Jun., quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam, cuius deae proprie festus dies est Quinquatrus mense Martio.' (cf. Paul. p. 148), cum eis quae Ovidius inde a v. 651 libri sexti de Quinquatribus minoribus tradit. Confer imprimis vv. 651—654:

Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores:

nunc ades o coeptis, flava Minerva, meis.

'Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?

quid sibi personae, quid stola longo volunt?'

---

Paulus. (v. Muelleri notam ad l. c.) Quae cum ita sint Merkelium ad suam opinionem adductum esse arbitror hac sola causa, quia Varrone imprimis Ovidium usum esse sibi persuasisset.

et vv. 693 sqq.

‘Superest mihi discere’ dixi,  
‘cur sit Quinquatrus illa vocata dies.’  
‘Martius’ inquit ‘agit tali mea nomine festa’  
e. q. s.

Adiecit autem Ovidius huic doctrinae duas narratiunculas. Quarum altera de tibicinum secessione (657—692) ita, ut ab Ovidio narratur, non tam ex virorum doctorum libris desumpta, quam ex memoria poetae, qui eam aliquando legerat aut audiverat, repetita videtur.<sup>1)</sup> Altera de tibia a Minerva inventa et de Marsya (697 sqq.) in notissimis certe fabulis numeranda est.

Porro ut vv. V 663—692 conderet, Ovidio vix alia opus erant atque fastorum nota, qualis legitur apud Paulum p. 148: ‘Maiis idibus mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii aedes esset dedicata.’ addito fortasse aedis loco. (cf. Ov. V 669 sq.)

Tota vero doctrina, quae inest in Ovidii versibus de Quirinalium festo II 475—532 (Febr. 17.) apud Verrii Flacci epitomatores quoque occurrit, id quod ex locis iuxta positis facile apparebit. Etenim cum Ovidii versibus 475—480

Tertia (sc. lux) dicta Quirino.  
qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit,  
sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,  
bellicus a telo venit in astra deus,  
sive suo regi nomen posuere Quirites,  
seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

conferas hunc Pauli locum p. 49: ‘Curis est Sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus; et Romani a Quirino Quirites dicuntur. Quidam eum dictum putant a Curibus, quae fuit urbs opulentissima Sabinorum.’

---

<sup>1)</sup> Quod cum ex singulis rebus verisimile sit, quas Ovidius aliter atque ceteri huius narratiunculae auctores tradit, non mutaverim contra omnium codicum fidem in v. 685 Claudii nomen in Plautium, quamquam hanc Pighii coniecturam omnes, quod sciam, comprobaverunt. (Peter, pars II. edit. p. 87 ad VI 651.) Nam hac coniectura non tam textum depravatum, quam ipsum Ovidium corrigi existimo.



Tantus autem est hic consensus, ut Merkelius ad illud extremum atque ultimum decurrere cogatur, qui 'suspikor tamen' inquit (l. c. p. XCVI). 'hic nonnihil ex Ovidio in Paulum irrepsisse, ut alibi.'

Sed collem Quirinalem a deo Quirino nominatum esse, id quod II 511 Ovidius canit:

templa deo fiunt; collis quoque dictus ab illo est,  
post alterum veriloquium a Festo p. 254 traditur s. v. Quirinalis collis: '. . . . quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum.'

Quae vero sequuntur in Ovidii carmine de stultorum feriis (vv. 513 — 532), partim poeta ipse Romae sine dubio vidit (vv. 527 — 530), partim apud Verrium invenire potuit. Ex eo enim excerpserunt Festus p. 254: 'Quirinalia mense Februario dies, quo Quirini fiunt sacra. idem stultorum feriae appellantur, quod qui diem suorum fornacalium sacrorum ignorant, eo potissimum rem divinam faciunt.' (ita Muellerus locum correxit.) Atque Paulus dicit p. 83: 'Fornacalia sacra erant, quum far in fornaculis torrebant.' (cf. praeterea Fest. p. 317 s. v. Stultorum feriae et Paul. p. 93 s. v. Fornacalia.)

Quae restat in toto de Quirinalibus capite, narratiunculam de Romulo in deorum numero collocato iam, antequam fastos conderet, Ovidio notam fuisse demonstrant versus 806 sqq. libri quattuordecimi metamorphoseon.

Neque minus, quae de Equirriis alteris Ovidius ad Mart. 14. docet, ad Verrii auctoritatem referri possunt collatis his locis Pauli p. 81: 'Equiria: ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.', et p. 131: 'Martialis campus in Coelio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aquae Tiberis campum Martium occupassent.' cum poetae verbis III 517—522:

. . . . . altera gramineo spectabis Equirria campo,  
quem Tiberis curvis in latus urguet aquis.  
qui tamen eiecta si forte tenebitur unda,

Caelius accipiet pulverulentus equos.

(cf. II 857 sqq. de Equirriis prioribus.) —

Loci, quos adhuc ex Verrii epitomatoribus attuli, cum annotationum fastorum Praen. simillimi sint, ipsae fastorum Verrii notae

ab auctore libris de verborum significatione inculcatae videntur mihi esse. Accedunt alii Festi Paulique loci, quos, cum ex integris Verrianorum fastorum notis excerpti esse videantur, iam quoad cum Ovidio congruunt, exscripturus sum.

Ovidius IV 629 sq. de Fordicidiis ita loquitur:

. . . . pontifices, forda sacra litate bove  
forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo,  
hinc etiam fetus nomen habere putant.

Quibus cum verbis congruit Pauli interpretatio p. 83: 'Fordicidis boves fordae, id est gravidae, immolabantur, dictae a fetu.' (cf. p. 102 s. v. horda.)

Veriloquium autem, quod de Feralibus habet Ovidius II 569:

hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem,  
affert Paulus p. 85: 'Feralia: diis manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus appellata.'

Atque in illis versibus, quibus de Matralibus agitur, duae insunt res, quae ad Verrii auctoritatem revocari possunt. Nam cum Ov. VI 475

ite, bonae matres, vestrum Matralia festum,  
et 479 sq.

hac ibi luce ferunt Matutae sacra parenti  
sceptriferas Servi templa dedisse manus.

conferre licet Paulum p. 125: 'Matralia: Matris Matutae festa.'; cum v. 547

quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet,

Paulum p. 243: 'Portunus, qui et Palaemon, a Romanis inter deos colebatur.'

Denique quae Paulus habet de Fabiis Quintiliisque p. 87: 'Faviani et Quintiliani appellabantur Iuperci, a Favio et Quintilio praepositis suis.' (cf. Fest. p. 257 s. v. Quinctiliani), ab Ovidio quoque ad Lupercalia attinguntur II 375 sqq.; et quae de Bellonae columna dicit p. 33: 'Bellona dicebatur dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quae bellica vocabatur, super quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur.' occurrunt in Nasonis fastis inde a v. 201 libri sexti:

hac sacrata die Tusco Bellona duello  
dicitur et Latio prospera semper adest.

Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata  
- multum animo vidit, lumine captus erat.  
Prospicit a templo summum brevis area circum,  
est ibi non parvae parva columna notae:  
hinc solet hasta manu, belli praenuntia, mitti,  
in regem et gentes cum placet arma capi.<sup>1)</sup> —

Omnes loci, quos hucusque exscripsimus, ad quem diem et quo iure maioribus Verrii fastis quondam inhaeserint, facile conici licet. Sine dubio nihil in eis invenitur, quod a natura notarum fastorum Praen. abhorreat. Quibus locis alios nonnullos adiungam, quamquam ea, quae eis docentur, non ita arte cum explicatione fastorum Romanorum videntur cohaerere. Sed et valde concinunt de eis Ovidius Verriusque, et in fastis etiam Praen. multa inveniuntur, quae longe a dierum enarratione distant. Quare hos locos breviter in unum componam.

Ovidius II 671 sq. de tecto templi supra Terminum patente idem tradit atque Paulus p. 368; Vestam eandem esse atque terram ideoque in rotunda aede coli et Ovidius VI 267 sqq. et Festus p. 262 docent. Fabulae vero de exitu Fabiorum et de Mamurio Veturio simillimum in modum et a poeta et a grammatico narrantur. (cf. Ov. II 201 sqq. c. Fest. p. 285, 5.<sup>2)</sup>; Ov. III 373 sqq. c. Paul. p. 131, 7.)

<sup>1)</sup> Ad Pauli locum (p. 33) Muellerus annotavit: 'Placidus p. 437 apud Maium, ex integro Festo, ut puto: „Bellica columna ante aedem Bellonae, quae Pyrrhi temporibus constituta dicitur (cf. vv. 203 sq., quos exscripsi.), ut exeuntes ad bellum superiacerent eam hasta, veluti conspecto hoste issent.“'

<sup>2)</sup> Si quis intellexerit, quomodo in codicibus versus II 201 sqq. traditi sint (Peter, pars II. edit., p. 26.), eum non dubitaturum esse arbitror, quin Riesius recte iudicaverit v. 203 non esse spernendum, pentametrum autem sequentem iam antiquitus casu quodam excidisse. Atque cum Festi verbis p. 285: 'Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi; et in aede Jani, quae est extra eam, senatum haberi: quod ea egressi sex et trecenti Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Jani S. C. factum esset, uti proficiscerentur.' (cf. p. 334 sq. s. v. Scelerata porta.) optime hic Ovidii locus consentit, dummodo cum melioribus codicibus scribamus inde a. v. 201:

Sed haec hactenus. Nam quamquam haud scio an plura exempla afferri possint, tamen nihil novi eis elucere arbitror.<sup>1)</sup> Quare ad eos potius locos transeam, quibus Merkelius et Huelsenus adducti sunt, ut Verrii doctrinam ab Ovidio exscriptam esse negarent. Quamquam de plerisque eorum locorum iam antea occasionem nacti egimus.

Ex eo autem, quod apud Paulum scriptum videmus p. 102: 'Hostia dicta est ab eo, quod est hostire ferire.' apud Ovidium vero I 336

hostibus a domitis hostia nomen habet,  
nondum demonstrari Verrium a Nasone lectum non esse ne Merkelium quidem fugit, quippe qui, quamquam haec et similia discrimina conguessit, tamen levia talia dicat. (l. c. p. CIII.) Mittamus igitur omnino haec levia, ne dicam futilia, atque eos solos locos recenseamus, quibus dissentire aperte Ovidium et Verrium Merkelius iudicat. Quorum primos vir doctus hos affert: 'Ov. III 95

Carmentis portae dextra est via proxima Jano:

ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.

Illa fama refert Fabios exisse trecentos,

et ponamus Ovidium de senatus consulto illo in aede Jani facto, quod Festus solus commemorat, in versu amisso locutum esse. — Tamen quominus haec animo fidenti affirmem, impediatur dubitationibus sat gravibus, quas G. A. Becker contra hanc versus 201. lectionem movit. (De Romae veteris muris atque portis. Lps. 1842. p. 71 sq. Handb. d. röm. Alterthümer. I p. 137 sq.) Is enim assensu omnium praeter Merkelium praecipue loco Livii II 49 fretus ita cum paucis et deterioribus codicibus legendum esse constituit:

Carmentis portae dextro est via proxima iano.

Quoniam autem eisdem dubitationibus Beckerus adducitur, ut Festum 'Verrii verba de iano portae prodentis ad templum Jani retulisse' putet, etiamsi eius sententia probatur, verisimile est Verrii existimationem ab Ovidio hoc loco praeberi.

<sup>1)</sup> In transcurso quidem moneam: Paulus p. 97 s. v. Gradivus et Ov. V 229—260, Paul. p. 87 s. v. fabam et Ov. V 436 sqq. II 576.

Pelignos Sabinorum gentem appellat, Paul. p. 222, 10 ex Illyrico ortos affirmavit: Verrius palatii incola scripsit piscatorios ludos fieri trans Tiberim (Fest. p. 210 sq. et 238), Ovidius vero VI 237 in campo Martio.' Sed si accuratius Ovidium inspexerimus, videbimus eum illud de Paelignis eo loco docere, quo de mense Martio apud populos Latinos loquitur, quam doctrinam ex maioribus Verrii fastis sumptam esse supra (p. 21.2) nobis verisimile visum est. Itaque coniecerim Ovidium in fonte suo invenisse talia fere: 'Martius mensis . . . . quartus apud Sabinos et Paelignos', duos autem populos suo modo et sua patriae cognitione conexuisse versibus III 95 sq.

et tibi cum proavis, miles Paeligne, Sabinis  
convenit: huic genti quartus utrique deus. —

Atque quod ad locum ludorum piscatoriorum pertinet, Ovidius, etiamsi in Verrii fastis trans Tiberim eos celebrari legit, tamen de sua festi notitia aliud, si quidem aliud est, tradere potuit. Neque enim dubito, quin hi ludi tum, sicut hodie similia oblectamenta, et in utraque ripa et in flumine facti sint. Miror sane, quod Merkelius haec quoque levia esse negavit, quae suo iure Huelsenus silentio praeteriit.

Sed Huelsenus quoque locis utitur, e quibus mea quidem sententia nihil ad rem efficitur. Etenim a Festo, cum p. 242 dicit: 'Pudicitiae signum in foro Bovario est, ubi familiaria aedisset (scr. Aemiliana aedis est) Herculis. eam quidam Fortunae esse existimant.' non 'sententiam paullo diversam' ab Ovidio (VI 569 sqq.), ut Huelsenus vult (l. c. p. 44. 6.), sed plane eandem atque a poeta promi vel potius breviter perstringi videtur. De aliis iam antea dictum est. Sed duo restant, ex quibus et Merkelio et Huelseno verisimile videbatur Verrium ab Ovidio non esse inspectum. Quorum alter is est locus, quo Ovidius (V 287 sqq.) clivum Publicium a Publiciis aedilibus plebei, Verrius (Fest. p. 238) a curulibus aedificatum esse narrant, quam rem 'satis gravem et memorabilem' aut 'magni esse momenti' adeo non iudico, ut nihil dicam contra ea, quae inde viri docti 'sagaciter concluderunt'. (Merkel. p. CIII, Huelsen. p. 43.4.) — Altero agitur de Argeis, de quibus Festus p. 334 multis verbis, Ovidius V 621—662 disserit. Sed priusquam hos locos accuratius conferimus, haec lubet iuxta ponere: Ov. V 621 sq.

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum  
mittere roboreo scirpea ponte solet.

Paul. p. 15: 'Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.'

Causae autem huius consuetudinis, quas Festus enumerat, hae sunt. Primo loco Manilii sententiam refert, qui Argeorum sacrificium ita ortum esse docuerit, ut pro senibus sexagenariis Hercule auctore scirpeae effigies in Tiberim deicerentur. (p. 334, 16—25 sin. cf. Paul. p. 75 s. v. depontani.) Eadem narrat Ovidius V 623—632. — Sequuntur apud Festum (l. c. 25 sin. — 1 dext.) duae moris explicationes, quibus aut de comitibus Herculis Argivis, quorum memoria his sacris redintegretur, aut de legato quodam Argivo, cuius corpus post mortem flumine in patriam remissum sit, Argeorum nomen derivatur; ita quidem, ut hic fere sensus efficiatur, viri docti columnam codicis Farnesiani semicom bustam restituerunt. Quorum simillima cum in Ovidii versibus 639—660 occurrant, vix dubito, quin e duabus grammatici explicationibus suam narrationem ipse sibi conflaverit poeta. Atque etiam haud scio an hoc loco conferenda sint Pauli verba p. 19: 'Argea loca Romae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum illustres viri.' cum Ovidii versibus 657 sq. — Denique tertia quoque Ovidii explicatio (vv. 633 sq.)

Pars putat, ut ferrent invenes suffragia soli,  
pontibus infirmos praecipitasse senes.

apud Festum (l. c. 10—17 dext.) invenitur. Cum igitur haec egregium in modum, ni fallor, nostrae sententiae faveant, num illi obstat, quod Naso quartam fabulam de sacrificio illo, quam Festus l. c. 1—10 dext. tradit, non attulit? —

Sed nimis multa: perspicuum enim est levissima esse omnia, quae aliter ab Ovidio, aliter a Verrii epitomatoribus narrantur. Immo, cum nobiscum reputaverimus, quam disiecta membra operis de verborum significatione ad nos pervenerint, cum singulae partes aut a Festo et denuo a Paulo male contractae, aut omnino non excerptae, aut temporum iniuriis perditae sint, pluris etiam aestimabimus haud exiguum numerum eorum locorum, quibus Ovidius et in reliquiis operis de verb. sign. Verrius prorsus consentiunt.

Sed hac re sola nihil paene efficitur. Etenim totidem vel plures etiam locos Merkelius Huelsenusque conquisiverunt, quibus ea, quae Naso tradit, cum M. Terentii Varronis doctrina optime congruere

ostenderunt. Atque eodem modo, quo nos, viri docti illi haud ita magno negotio ea, quae a poeta aliter atque a grammatico traduntur, aut ex natura carminis a libro viri docti diversissimi aut ex indole Ovidii disquisitionibus grammaticis aliena explicaverunt. Itaque si locorum numerus in censum veniret, magis Varronis quam Verrii libros ab Ovidio in usum esse vocatos manifestum esset. Huic vero opinioni, quam inde a Merkelio ad unum omnes, qui de fontibus fastorum Ovidii scripserunt, secuti sunt, imprimis hac mea disputatiuncula adversari studeo. Nam primum omnia paene, quae in libris grammaticorum Romanorum traduntur, vel hac vel illa via ad Varronis, 'diligentissimi investigatoris antiquitatis', auctoritatem revocari possunt, qui sententias maiorum omnes collegit, iudicavit, saepissime refutavit, ingenti rerum multitudini primus lumina attulit. Tum vero omnino nihiltribuendum est meo quidem iudicio ei rei, quod cum hoc grammatico saepius convenit Ovidius quam cum illo. Atque id quidem ea de causa, quia non tam opere grammatici, quam fastis usum esse Nasonem constat. Extabant autem Ovidii aetate fasti anni Juliani publici grammaticorum doctrina illustrati, quos Verrius Flaccus publicavit, neque quidquam de Varronis fastis memoriae traditum est. Atque quoniam horum fastorum reliquiae, fragmenta fastorum Praenestinorum, ita cum Ovidio consentiunt, ut nulla re impediamur, quominus Verrii Flacci fastos a poeta esse adhibitos existimemus, ex opere quoque eiusdem auctoris de verborum significatione illi loci, qui cum fastis Ovidianis comparari possunt, ad nostram sententiam muniendam maximi sunt momenti.

Ne vero ad eundem finem eis quoque utamur, quae de doctrina Verrii ab aliis praeter Festum Paulumque auctores memoriae prodita sunt, eo prohibemur, quod inter eos locos, quos ultimus C. Odofr. Muellerus in praefatione Festi p. XIII sqq. congessit, nulli sunt, quos ad fastos explicandos usui fuisse coniecero praeter duos Macrobianos locos supra laudatos. —

Unum autem genus annotationum, quibus Ovidius fastos suos extruxit, nullo adhuc verbo commemoravimus. Astronomicas notas dico, quibus et de motibus siderum et de origine nominum eorum agitur. Quid vero in eis veri, quid falsi insit, atque apud quos auctores eadem fabulae de astris tradantur, et Ideleri Robertique operibus diligentibus et sagacibus (v. pag. 2. not. 1.) absolutum est, et ad hanc disputationem nihil refert. Sed pauca, quae de

quaestione, unde hanc partem operis sui tenuissimam petierit Naso, affirmari possunt, haec, ni fallor, sunt.

Ortus signorum zodiaci atque aliorum astrorum nobilium ortus occasusque publicis fastis a C. Julio Caesare constitutis adscriptos fuisse constat. Atque ab Ovidio quoque ea, quae de stellarum motibus ad certos dies affert, ex fastis quamquam sine ulla ratione ac lege hausta esse et natura rerum verisimile fit et uno quidem loco manifesto probatur. Nam versus V 603 sq.

Idibus ora prior stellantia tollere Taurum  
indicat.

vix aliter exponi possunt atque Petrus eos exposuit: dies prior idibus in fastis indicat Tauri caput oriri.

Talium autem fastorum non unum exemplar, sed duo diversa inspecta esse a poeta verisimile visum est Ideler (l. c. p. 145.) ex versibus II 75 sq. (Febr. 2.)

Illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultum,

dicet 'Ubi est hodie quae Lyra fulsit heri?'

qui cum versibus I 653 sq., quibus ad Jan. 23. eiusdem Lyrae occasus narratur, minime consentiunt. Sed non intellego, cur de his locis alium in modum Idelerus iudicaverit atque de eorum similibus (sicut V 733 et VI 235), quibus ad hanc sententiam adducebatur (l. c. p. 167): 'In der Quelle, aus der Ovid und Columella gemeinschaftlich geschöpft haben, war öfters einerlei Erscheinung zwei-, ja selbst mehrmal angesetzt.' Itaque, quamquam in Verrianorum operum reliquiis astrologiae vestigia nulla extant, tamen nihilo conicere vetamur astronomicas quoque notas ex publicis fastis in Verrianos receptas, inde ab Ovidio sicut ceteras sumptas esse. Cum autem fastos Praen. ordinavit, omnes has annotationes abiecit grammaticus. —

Sine dubio quae de fontibus fastorum Ovidianorum inveniri possint, plura sunt quam quae hac disputatione exposuimus. Nam quae a viris doctis indagata sunt de eis locis, quibus Ovidius carmina aliorum poetarum et Graecorum et Latinorum aut Livii narrationes de origine urbis poetarum paene more prolatas respexisset, vix quisquam reicere poterit, quamquam omnia magis e memoria repetita quam propriis ad fastos condendos studiis congesta videntur. Itaque non inutile esset, si quis in singulis Ovidii capitibus discernere conaretur, quas res ex fastis desumpserit, quas apud alios



poetas legerit, quas ipse Romae aut in itineribus viderit poeta, sicut haec ipse in nonnullis quidem locis temptavi. Tamen ea re abstinere malo, quia in tali disquisitione multa ex mero arbitrio disceptanda sunt. Equidem contentus ero, si ex his, quae protuli, apparuerit Verrii Flacci fastos, quorum epitoma tabulae Praenestinae sunt, eum fontem fuisse, quem Ovidius primum omnium adiisset et ex quo omnia paene ad fastos illustrandos necessaria hausisset. Atque haud scio an illud Verrii opus non modo a poeta adhibitum sit, sed etiam omnino, cum in publicum prodiret, ad carmen suum Nasonem excitaverit.

---

# Notae fastorum Praenestinatorum

quas in paginas huius libelli ex CIL I transcriptae sint; indicatur.

(cf. p. 13 sq.)

Januarius.	
1. . . .	28,1. 6,1; 18,3. 35,3.
2. . . .	33. 34.
3. . . .	33.
6. . . .	34.
7. . . .	15,4.
9. . . .	29,3.
10. . . .	33.
11. . . .	37,2.
12. . . .	15,4.
13. . . .	35,3. 19.
14. . . .	34.
15. . . .	37,2.
16. . . .	19. 41.
17. . . .	15,4.
27. . . .	17,1.
29. . . .	15,4. 14,3.
30. . . .	16,1.

Februarius.	
5. . . .	15,6. 7,4.

Martius.	
1. . . .	22. 38,3.
6. . . .	14,2.
7. . . .	7,2; 20.
19. . . .	39 sq.
23. . . .	36,1.
24. . . .	32,1.
31. . . .	16,2.

Aprilis.	
1. . . .	29,2. 21,1.
4. . . .	23,3.
5. . . .	17,2.
6. . . .	16,3.
9. 10. . .	14,1.
10. . . .	18,4.
12. . . .	32,6.
21. . . .	30,4.
23. . . .	30,5.
25. . . .	25,4.
26. . . .	14,3.
28. . . .	17,4.

December.	
23. . . .	41.

## Sententiae controversae.

---

1. Versus Ovidii fastorum I 295—310 Tomis a poeta Germanicum respiciente scriptos esse nego.
  2. Totum locum Ov. fast. I 587—616 retractatione operis ortum esse contenderim.
  3. In prooemii libri quarti Ov. fast. certa curae alterius vestigia animadvertuntur. (cf. vv. 9 et 18.)
  4. In incerti auctoris carmine, quod inscribitur Moretum (Baehrens PLM II p. 178 sqq.), versus 13. sic est legendus:  
Tandem concepto sensim fulgore recedit.  
(codd: sed lux).
  5. Verba τοὺς ἐννέα ἀρχοντας ἐπήγαγε e. q. s. in oratione Lysiae VII 22 aliqua cum cavillatione dicta sunt.
  6. Tres feminae, quae haud semel in sarcophagis Romanis, quibus dextrarum iunctio insculpta est, cernuntur, ancillae habendae sunt, non Gratiae, ut A. Roszbachius (Röm. Hochzeits- und Ehedenkmäler. p. 69 sqq.) vult.
-

## V i t a.

---

Augustus Guilelmus Hermannus Winther a. d. VII. id. Mai. a. h. s. LXII patre Ferdinando matre Anna e gente Noelte Berolini natus fideique evangelicae adscriptus sum. Primis litterarum elementis imbutus a patre, qui filias civium Berolinensium viribus adhuc integris docet atque erudit, autumno a. LXVIII in gymnasium Fridericianum Berolinense receptus sum. Testimonium autem maturitatis Charlottenburgii accepi, quod in municipium parentes, ut urbis incommoda effugerent, migraverunt. Ibi ab autumno LXXV usque ad ver LXXXI in gymnasio Imperatricis Augustae, quod Ferdinandi Schultzii, viri humanissimi, auspiciis floret, praeceptoribus et doctrina et benignitate insignibus fructus sum, quibus quantum debeam grato animo semper memor ero.

A. d. XII. cal. Mai. a. LXXXI ab A. G. Hofmanno v. ill. rectore numero civium Universitatis Fridericae Guilhelmae Berolinensis adscriptus sum. Postquam annum studiis philologicis operam dedi, ad Almam Matrem Bonnensem cultu philologiae praeclaram accessi ibique aestatem anni LXXXII moratus sum. Tum Berolinum reversus et iterum in numerum civium academicorum aggregatus tranquillum studiorum meorum cursum in patria perfecissem, nisi forte fortuna mihi contigisset, ut in Italiam proficiscerer. Venia ab universitatis rectore impetrata inde ab aestate anni LXXXIII usque ad ver anni insequentis Romae in domo hospitalissima Roberti Caueri, sculptoris egregii, docens atque discens versatus sum. Denuo redux operam navavi, ut studia mea antiquitatis ad finem quandam perducerem.

Scholas frequentavi Bonnae virorum doctissimorum Buecheleri, R. Kekuléi, A. Schaeferi†, Wilmannsii; Berolini virorum illustrium Dielsii, Diltheyi, Huebneri, A. Kirchhoffii, Mommseni, Paulseni, Roberti, Schereri, Schmidtii, de Treitschkii, Vahleni, Zelleri. Ad exercitationes autem societatum suarum philologicas Dielsius, Huebnerus, Vahlenus, ad archaeologicas Kekuléius et Robertus aditum benigne mihi permiserunt. Quibus viris omnibus, quos enumeravi, gratias ago quam maximas semperque habebo.

Societati academicae philologicae Berolinensi inde ab hieme anni LXXXII interfui.

---



